Index

Index eorum opusculorum quæ continentur in hoc tomo

L'Arte del dire di Alfonso Manelli
I Pastori di Betlemme Concerto Musicale di
Giuseppe de Totis
Litaniæ ad implorandam opem contra Turchas
Acta audientiæ Pauli quinti Legatis Regis Poloni
Preces in Processionibus Rogationum
Memoria de' schiavi liberati p. i PP. della
Mercede dalla mano de' Mori il 1686
Dissertatio de Hexaplis Origenis Josephi
Mariæ Suaresij
Officium Nominis B. Mariæ Virginis quoq.
recitandum
Card. Columnæ contra Episcopos Reipublicæ
Venetæ etc.
Benedittione Papale
Regni del Re di Spagna, e del Gran Turcho

Omnia in unum collecta ex donis factis
P. Francisco Mariæ Campioni



Mesi

DISQUISITIO
THEOLOGICA,
AN PECCATA MORTALIA DUBIA SINT IN SACRAMENTALI CONFESSIONE EXPLICANDA?

IN QUA

LUTHERI negantis dogma refertur, & confutatur; Argumentis cujusdam recentioris incautè eamdem doctrinam tradentis respondetur; & de possessione libertatis agendi, de opinionum probabilitate, & attritione ad Sacramentum necessaria, nonnulla breviter discutiuntur.

AUTHORE

F. FRANCISCO FARVACQUES

ORDINIS EREM. S. AUGUSTINI

S. T. DOCTORE LOVANIENSI,

ET IN PERANTIQUA AC NOBILISSIMA ABBATIA

S. GERTRUDIS

LOVANIJ PROFESSORE.





Lovanij, Typis CYPRIANI COENESTENII

M. DC. LXV.

REVERENDO ADMODUM,
PERILLUSTRI, ET AMPLISSIMO
DOMINO
D. MAXIMILIANO
VAN LEEFDAEL
EX BARONIBUS DE LEEFDAEL
PERANTIQUÆ, PRÆNOBILIS ET CELEBERRIMÆ
DUCALIS APUD GRUDIOS
ABBATIÆ DIVÆ GERTRUDIS
ANTISTITI MERITISSIMO,
CANONICORUM REGULARIUM S. AUGUSTINI
CONGREGATIONIS WINDESEMENSIS PER
INFERIOREM GERMANIAM AUCTORITATE APOSTOLICA AC REGIA
CONSERVATORI PERPETUO,
BRABANTIÆ STATUUM
ASSESSORI.

MAXIMILIANE, PRÆSUL
MAXIME, qui tanti mensuram nominis imples, *Ovid. l. 1*
& geminas animi NOBILITATE genus, *de Ponto elegia 2.*

Ecce Amplitudinis Tuæ pedibus veneranter sisto Disquisitionem Theologicam de peccatis mortalibus dubijs in Sacramentali Confeßione explicandis à me discussam. Erit illa gratulationis meæ de adepta amplißima Dignitate

tate publicum testimonium. Privatim & verbo gratulari priùs licuit, nunc demùm scripto publico.

Gratulor itaque collatam pro meritis amplissimam Prælaturam. Sed cui primùm? Mihine, an tibi, an Nobilissimæ, cui præficeris Abbatiæ? Verbo dicam: Omnibus. Mihi: quod Te Præsule & studiorum meorum fautore liceat hîc Lovanij, in celeberrimo scientiarum theatro, cum otio ac dignitate in studijs theologicis conquiescere. Tibi: quod non sub modio, sed super candelabrum Ecclesiæ positus, dotes, ante privatas, publicum facias virtutis exemplum. Nobilissimæ Abbatiæ: cui cōtigit Prælatum obtinere, à quo possit & debeat maxima quæque sperare, & ornamenti plus accipere, quàm eidem conferre.

Quare gratulor omnibus AMPLISSIME DOMINE, *& mihi & tibi, & Nobilissimæ cui præficeris Abbatiæ, imò toti Ecclesiæ cujus interest, ut Ecclesiasticæ functiones idoneis committantur. Et quidem eodem gratulationis genere, quo Cœlestinus Pontifex olim sanctæ Synodo apud Ephesum constitutæ gratulabatur* de proviso *Ecclesiæ Constantinopolitanæ* Pastore Dignissimo MAXIMIANO, *ego Tibi* MAXIMILIANE *gratulor. Nihil enim in* MAXIMIANO *Constantinopolitano commendat Cœlestinus, quod in te* MAXIMILIANE, *totaq; tua vita, magnificè non refulgeat.*

(a) *in Eph. p.* 413. *De* MAXIMIANO *scribit Cœlestinus* : (*a*) scimus quo itinere Sanctus Frater & Coepiscopus noster MAXIMIANUS, quibus gradatim stipendijs ad fastigium sacerdotale pervenit. Non hunc divitiarum gloria, non velut in potentia cupidum, qui solet inesse ambientibus, honorum saltus evexit.

Ausim

Ausim ego non minùs verè pronuntiare: scimus MAXIMILIANE, *quo itinere, quibus gradatim stipendijs ad fastigium Dignitatis Abbatialis perveneris. Non te divitiarum gloria, non honorum saltus evexit: priùs Personatus in Betecom, deinde Plebani ac Præpositi Arschotani munere summa cum laude perfunctus, Abbatialis dignitatis gradum, vocante Domino, ascendisti.*

Addit de MAXIMIANO *Cælestinus:* (*a*) suffragio pauperum, quibus fidelis servus & prudens cibum dabat in tempore, super omnia Domini sui constitutus est bona. (a) *ibid.*

Addam & ego, Te MAXIMILIANE, *suffragio, votis, & precibus pauperum, quibus fidelis servus & prudens cibum dabas in tempore Arschoti, super omnia Domini constitutũ esse bona, & supremum dignitatis apicem inter tuos consecutum.*

Cælestinus in epistola ad Theodosium Iuniorem scribit: (*b*) talem Ecclesiæ Constantinopolitanæ constitutum esse Pontificem MAXIMIANUM, qui olim hoc se dignum fastigio omnibus, quibus notus est, approbasset. (b) *Pag.* 414.

Probasti pridem MAXIMILIANE *omnibus, quibus notus fuisti, fastigio Dignitatis Abbatialis Te dignum esse, quandò Tuorum votis, supremæ illi dignitati destinatus fuisti, & ità omnem vitæ tuæ rationem instituisti, ut gerendæ Infulæ natum te crederent, qui probè noscerent.*

De MAXIMIANO *iterum Cælestinus* (*c*) bonorum, *inquit*, hunc actuum palæstra semper exercuit. *Quid dicam? totum, quantum est vitæ tuæ institutum, in bonorum actuum palæstra te probat exercitatissimum. Probat id ferventissima tua in Deum, proximumq́ charitas: probat assiduitas in preci-* (c) *Pag.* 413.

bus

bus, innocentia in moribus, pietas in actionibus, prudentia in consilijs, erga religiosas familias beneficentia, & quæ nobilium animarum character est, perpetua & constans, in imos, æquè ac summos, urbanitas. Verùm quid ago? notiora sunt illa, quàm ut à me commemorari debeant. Assertio impendatur incertis, testimonium comperta non quærunt, *ut iterum*
(a) ibid. *de Maximiano Cœlestinus.* (a) *Quare calamum premo.*

Vnum tamen est, quod silentio tegere, & posteritatem celare nefas existimo: excellentem scilicet illum amorẽ, & Paternam charitatem, quam peste crudelißimè grassante ostendisti, non possum non commendare. Stetisti VIR AMPLISSIME *inter grassantis pestis pericula securus, & periculosum illud charitatis officium, duxisti* exercitium atque explorationem *virtutis tuæ, imitatus fervente illos primitivæ, ac innocentioris Ecclesiæ catholicos de quibus ità scribit Dionisius Alexand.*
(b) apud Niceph l. 6. c. 20 (*b*) contagiosa lues urbem (*Alexandrinam*) invasit. Res metu omni illis (*gentilibus*) horribilior, & erumnâ quâvis calamitosior nobis verò (*Christianis*) haud quaquam talis, sed non minùs atque alia, EXERCITIUM ATQUE EXPLORATIO... Plurimi itaque fratres pro excellenti suo amore & fraterna charitate sibi ipsis non parcentes, & alius ab alio invicem dependentes, sine metu omni ægrotos visitarunt, magno studio & cura illis in Christo inservientes &c.

Primos illos Ecclesiæ sanctioris pugiles secutus es, VIR AMPLISSIME: *pro excellenti tuo amore, & Paterna charitate tibi ipsi non pepercisti, sine metu omni ægrotos visitasti, & magno studio & cura illis inservivisti.*

Quocircà

Quocircà nemo satis commendare poterit tam singulare, tamq; eximium charitatis officium, quod teste eodem Dionisio efficacià haud multùm abest à martyrio. sic enim subjungit: hoc pacto optimi apud nos fratres, Presbyteri etiam quidam & Diaconi, & ex plebe laudatissimi quique ex hac vita emigrarunt: ut jam id genus mortis pietate multâ & fide roboratum, non multùm videretur abesse à MARTYRIO.

Porrò, licèt martyrium illud mysticum tibi defuerit, PRÆSUL AMPLISSIME, *non tamen defuisti martyrio: siquidem, obtulisti promptè & hilariter generosum pectus morti, ità ut contracta peste anthraces jaculante, tu & mors uno tantùm gradu divideremini, Deo Ecclesiæ suæ & Nobilissimo Monasterio ad meliora Amplitudinem vestram reservante.*

Ceterùm, ne pluribus abutar benevolentiâ vestrâ, cui molestum est ab humanis laudibus accipere testimonium, cùm soli Deo offerri & probari voluerit illud excellentis amoris & charitatis martyrium, calamum coerceo; si priùs tamen Deum ter Optimum Maximum precatus fuero, ut Amplitudinem Vestram diu sanam, incolumemq; conservet Ecclesiæ suæ & Monasterio, mihiq;

PERILLUSTRIS, Rdæ. Adm. ac
AMPLISSIMÆ Dom. V.

Observantissimo Famulo
F. FRANCISCO FARVACQUES
Ord. Erem. S. Augustini, S. Th. Profess.
in Vestra Abb. S. GERTRUDIS.

CENSURA.

HÆc Disquisitio Theologica de peccatis mortalibus dubijs in sacramentali confessione explicandis, doctrinam sanam, & sacris Canonibus, praxique communi in Ecclesia hactenus observatæ consonam continet: & cum fructu in lucem ibit. Datum Lovanij die 24. Aprilis Anno 1665.

JACOBUS PONTANUS
S. Theol. Doctor & Professor ac librorum Censor

APPROBATIO.

HAnc Disquisitionem Theologicam, ab Eximio Patre M. N. Francisco Farvacques elaboratam, ex commissione R. Adm. P. Magistri Provincialis nostri perlêgi, & nihil à Catholica Fide alienum inveni. Probat autem rationibus tam solidis, & apertis, peccata mortalia dubia in confessione sacramentali explicanda esse, ut cuilibet Lectori eas benè expendenti, de hujusmodi dubiorum dubio nullum possit superesse dubium. Quare prælo dignam censeo. Datum in Conventu nostro, Ord. Erem. S. P. August Lovanij hac 4. Maij, 1665.

F. ATHANASIUS MAIGRETIUS
S. Th. Lovanij Doctor & Professor.

FACULTAS R. Adm. P. PROVINCIALIS.

VIsâ Approbatione Eximij P. M. Athanasij Maigretij S. Th. Doctoris & Studij Lovaniensis Regentis, consentio, ut Disquisitio Theologica de peccatis mortalibus dubijs in sacramentali confessione explicandis composita ab Eximio P. M. Francisco Farvacques S. Theol. Doctore & Professore lucem videat. Datum Lovanij 5. Maij Anno 1665.

F. JOANNES BAPTISTA DE PERNES
Provincialis Provinciæ Belgicæ Ord. Erem. S. Augustini.

DISQUISITIO THEOLOGICA,

An peccata mortalia dubia sint in sacramentali confessione explicanda?

PRÆFATIO.

In qua præsentis disquisitionis status proponitur.

I. PEccata mortalia dubia in sacramentali confessione necessariò explicanda esse, majoribus nostris fuit *non dubitabile verum*, omniumq; ea fuit concors sententia, non secus animæ, quàm corporis vulneribus dubijs non dubiam adhibendam esse medicinam. Verùm hoc sæculo, quo nihil propemodum est, quod in dubium non revocetur, cœpit inter catholicos de ipsis peccatis mortalibus dubijs in confessione declarandis non exiguum moveri dubium.

II. Et quidem D. Caramuel, qui, proprio testimonio, [a] *quandò errat, ingeniosè errat*, operosè & ingeniosè nititur sententiam negantem stabilire, [b] quod tamen eum facturum fuisse non crediderim, si (quod sequentibus declarabitur) eamdem doctrinam Luthero, & Erasmo dudum anteà placuisse observasset.

[a] Theol. fundam. pag. 197.
[b] p. 673.

III. Quod priusquàm declarem, & propositę disquisitionis decisionem aggrediar, Lectorem præmonitum cupio me præsenti disquisitione non investigare, sitne obligatio confitendi peccata mortalia dubia, de quibus

dubitatio ſuboritur abſque ullo veriſimili fundamento, ratione, vel conjecturâ, cujuſmodi dubitationibus obnoxij ſunt illi, quibus conſcientia eſt ſcrupuloſa, vel, ut loquitur D. Caramuel, *hypocondriaca*, [a] quique ſolent trepidare timore, ubi non eſt timor: nã de hujuſmodi peccatis quæſtio nulla, eſt, eò quod, ut ex dicendis cõſtabit, poſſint utiliter, imò ſubinde debeant in Sacramentali Confeſſione reticeri.

a Ibid.

Verùm præſenti diſquiſitione illud inveſtigamus, ſitne obligatio confitendi peccata mortalia, quæ in dubium revocantur ob aliquod veriſimile fundamentum, rationem, vel conjecturam, quæ non de nihilo virum prudentem movere poſſit, ut dubium, & incertum exiſtimet, an mortaliter deliquerit, nec ne?

IV. Neque puto ſcrupuloſè hîc diſtinguendum dubiũ à probabili, quomodò nonnulli dubium non vocant, niſi cum intellectus hęret, & omnis omninò aſſenſus ſuſpenditur. Quamvis enim diſtinctio illa uſui veniat cum de fide agitur, in qua non eſt integrum ſuſpendere aſſenſum, eò quòd juxta Stephanum Papam: [b] *dubius in fide infidelis ſit*: nihilominus in alijs materijs, maximè moralibus, cùm de re præteritâ, vel facto dubium eſſe dicitur, diſtinctio illa non obtinet, neque ità ſignificationem vocis *dubium* conſtringimus, ſed generaliter dicimus illud eſſe dubium, quod incertum eſt ob varias utrimque conjecturas, vel rationes, ſive interim intellectus hæreat, & omnem aſſenſum ſuſpendat, ſive non.

b c. 1. de Hæreticis.

Quod

Quod quidem innumeris exemplis demonstrare facillimum foret, verùm sufficiet è multis pauca seligere, quibus hoc viro cordato non possit non persuaderi.

Imprimis tritissimum illud axioma: *in dubio melior est conditio possidentis*, quis obsecro, ita intellexit, ut conditionem possidentis fundum, non putaverit meliorem, nisi omnem assensum suspenderet? Quis non potiùs obvio illo sensu intellexit, quod melior sit conditio possidentis, quandò negotium incertum est, & sufficientibus documentis probari non potest? Quis discutiendum existimavit, suspenderet quis, an non suspenderet assensum?

V. Similiter aliud æquè commune, & pervagatum axioma: *in dubijs tutior pars est eligenda*: quis nonnisi præposterè detorqueat, ad solos illos casus, quibus omnis suspenditur assensus? hâc namque ratione axioma illud nunquam haberet locum nisi cùm quis pro sua libertate omnem assensum vellet suspendere: cùm enim agatur de dubijs alicui fundamento innixis, semper integrum foret dubitanti elicere assensum aliquem opinativum vel probabilem in vim fundamenti cui dubium innititur, atque ita posset se axiomatis istius vinculis pro arbitrio quilibet eximere.

Constabit hoc magis si ad textus illos unde prædictum axioma petitum est nos conferamus. Clemens 3. cap. *ad audientiam* ità decernit. *Ad audientiam Apostolatus nostri pervenit, quod cùm quidam Presbyter volens corrigere* cap. 12. de homicidio.

 quem

quemdam de familia sua, cingulo, quo cingi solebat ipsum verberare tentasset: contigit, quod cultellus de vagina, quæ cingulo adhærebat elapsus eum in dorso aliquantulum vulneravit; .... Quia verò utrùm occasione vulneris decessisset dubium habetur: vestræ discretioni duximus respondendum, quod cùm in DUBIIS SEMITAM *debeamus eligere* TUTIOREM *vos convenit injungere Presbytero memorato, vt in sacris ordinibus non ministret.*

Quæro, an isto casu necesse fuerit omnem prorsus assensum probabilem abesse, ut Presbyter ille irregularis redderetur? quid si probabiliter putaretur vulneratus nō occubuisse ex vulnere cultelli? sanè fundamentum probabiliter id asserendi subministrabat quod refertur ibidem: nimirum, quod *postmodùm ille vulneratus aliquamdiu vixisset, & convaluisset à vulnere: aliâ graviore (vt dicitur) infirmitate percussus &c.* Amabo; totane ob talem probabilem opinionem ad nihilum recidebat irregularitas?

Simile argumentum duci potest ex capitulo *juvenis* ⁙ DE SPONSALIBVS, in quo legimus ab Eugenio Papa præscriptum, quod *in his, quæ* DUBIA *sunt, quod* CERTIUS *existimamus tenere debemus.* Videtur enim incredibile, quod in casu ibi posito nullus fuerit, vel esse potuerit pro alterutra parte probabilis assensus.

Unde fit ut meritò Glossa ad utrumque citatum capitulum, commune illud axioma, *in dubijs tutior pars est eligenda* exponat per aliud Augustino adscriptum: *tene*

De pœnit. d. 7. cap. 2.

certum,

certum, dimitte incertum: promiſcuè, & nullo diſcrimine uſurpans *dubium*, & *incertum*.

VI. Quo ſenſu etiam intelligendam puto communem definitionem, quâ tranſactio dicitur eſſe *de re* DUBIA *pactio non gratuita.* Nullâ enim ratione exiſtimo, quod tranſactionis natura ſuſpenſionem vel non ſuſpenſionem aſſenſus præſupponat, ſed incertitudinem rei, & eventus. Unde etiam verſus à Gloſſa relatus,

Incerta de re tranſactio dicitur eſſe,
Sed fiunt certa pacta favore Rei.

Ad cap. 1. ✠ de tranſactionibus.

Ubi quod in definitione tranſactionis vocatur *res dubia,* in verſu vocatur *res incerta.*

Poſſem longè plura in eandem rem adferre, ſed quia confido futurum, ut ea quæ allata ſunt aſſenſum impetrent, conſultò abſtineo. Videri interim poteſt. Cap. *illud* ✠. *de Clerico Excom.* & cap. *petitio* 24. *de homicidio*, ubi clarum eſt agi de dubio, quod probabilem aſſenſum ſecum patitur, & perperam capitula illa reſtringi ad caſus, quibus intellectus hæret, & omnis omninò aſſenſus ſuſpenditur.

VII. Quapropter, ut ad propoſitum revertar, præſentem diſquiſitionem inſtituo de ijs peccatis mortalibus, quę dubia ſunt ob aliquod probabile fundamentum, rationem, vel conjecturam, nihil intereſſe exiſtimans, an quis præbeat, an ſuſpendat probabilem aſſenſum, ſupponens quod is, qui aliquid probabiliter ſentit, verè dicendus ſit aſſentiri, ne quis inutilem, & odioſam moveat de nomine quæſtionem. Non

VIII. Non possum autem hic prætermittere lepidum Caramuelis commentum: cùm enim citasset verba P. Præpositi [a] dicentis interdū contingere, *ut homo dubitet, quia utrimque apparent rationes probabiles,* subjungit: [b] *displicet illud verbum ultimum, quia si utrimque probabiles rationes suppetant, non est dicendus habere conscientiam dubiam, sed probabilem,* & deinde proponens statum quæstionis, accuratissimè secernit dubium à probabili, dicens: *hic autem nō inquirimus an peccata cum non fuisse commissa* PROBABILE *est debeant in confessione explicari, hæc enim quæstio,* inquit, *est omninò diversa: sed an debeas confiteri peccata, si* DUBITES *te commisisse?* Quo nihilominus posito, discriminis illius haud multùm memor, tam eum qui probabiliter judicat, quam qui dubitat ab omni confitendi onere absolvit, manifestè (ut quidem putat) probans ex tridentino quod ut quis teneatur confiteri *debeat certò constare* & haberi *notitia scientifica de delicti existentia,* tam certum autem est, quàm quid certissimum, non eum tantummodò qui strictè dubitat, verùm etiam qui probabiliter judicat carere *notitiâ scientificâ de delicti existentiâ,* ac proinde ex mente ac liberalitate Caramuelis utrumque absolvi ab onere confitendi sacramentaliter.

Quare cum allegata Caramuelis protestatio fuerit actui contraria, nihil hujusmodi commentum morabor, & propositam disquisitionem eo, quo prius dictum est sensu, sequentibus expendam.

[a] q. 5. de integritate conf.

[b] pag. 674.

Pag. 678. 679.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

De Martini Lutheri circa propositam Disquisitionem sententia.

I. ALiena fortassis à proposito videbitur hujus capitis inscriptio. Quid enim, inquies, Martino Luthero cum proposita difficultate, quam teste ingenioso Caramuele [a] *omisêre veteres, juniores vix audent resolvere?* eorum disquiratur sententia, qui enucleandis conscientiæ casibus catholicam dederunt operam. Nam, [b] *quæ participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras!*

a Theol. fund. pag. 673.

b 2. cor. 6, v. 14.

Verùm quàm non abs re Lutheri sententiam investigemus, & quanti sit ad propositæ disquisitionis decisionem momenti, sequentibus (nî fallor) evidenter commonstrabimus. Et forsitan ille, *qui dixit de tenebris lucem splendescere* [c] ex oppositis lutheranæ doctrinæ tenebris purissimam catholicæ doctrinæ veritatem faciet illucescere in cordibus nostris.

c 2. cor. 4. v. 6.

§. I.

Ostenditur ex ipso Luthero, lutheranum esse dogma, quod mortalia dubia non sint in confeßione declaranda, quodque manifesta opposuerit dubijs, non occultis.

II. LUtheri sententiam ex ijs, quæ bullæ Leonis X. reposuit, scrutemur. *Scripserat Ludderus nos non teneri ad confitendum peccata capitalia nisi manifesta,* prout litteris ad R^mum.

ad R^{mum}. D. Cardinalem moguntinum datis calendis novembris anno 1519. testatur Erasmus roterodamus, & constat ex Lutheri sermone de Pœnitentia.

Scripserat insuper alios errores, tum veritati catholicæ contrarios, tum Ecclesiæ tranquillitati, & authoritati injuriosissimos. Papa igitur Leo X. vir alioqui mitissimus, ut vidit Ecclesiā impijs, & seditiosis Lutheri scriptis vehementer turbari undique, dissidiumque in dies magis ac magis increscere, frustraque Lutherum moneri, 17. calendas julij anno 1520. unum, & quadraginta articulos ex Lutheri scriptis desumptos anathemate perculsit. Inter cæteros autem octavum hunc proposito nostro deservientem: *nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, vt omnia mortalia cognoscas. Vnde in primitiva Ecclesia solùm manifesta mortalia confitebantur.*

Quamvis autem Leo X. in dictâ constitutione declarasset promptum, & paratum se esse, Lutherum *tamquam filium prodigum ad gremium Ecclesiæ revertentem benignè recipere*, modò ad cor reverteretur, & à prædictis erroribus recederet præscripto sibi temporis termino: nihilominùs Lutherus non solùm errores suos infra præmissum terminum revocare contempsit, verùm tanquam petra scandali pejora prioribus contra catholicam veritatem, tranquillitatem, & authoritatem non est veritùs scribere, & prædicare.

3. Cum-

III. Cùmque pessimè illum haberet Leonis X. constitutio unius & quadraginta articulorum suorum damnatoria, cœpit illam impetere, falsitatisque redarguere. Quod singulariter conatus est præstare edito libello, quem inscripsit: [a] *assertio omnium articulorum Martini Lutheri per Bullam Leonis decimi novissimam damnatorum.* Quam Lutheri assertionem exhibet, & refutat Joannes Roffensis libro in eum finem specialiter conscripto.

[a] apud Roffensem pag. 7.

IV. Iuvabit autem expendere, quid ad condemnationem articuli octavi suprà citati, in quo docuerat nos non obligari ad confitendum peccata mortalia nisi manifesta, respondeat Lutherus: [b] *ego*, inquit, *de his mortalibus locutus sum, quæ aut* ALIIS, AUT SIBI MANIFESTA *sunt, ut satis in propositionibus, & dictis meis patet: Bulla autem insidiosè loquitur, ac si de solis publicis omnium sensu cognitis fuerim locutus.*

[b] apud Roff. pag 121.

Quo quidem suo in responso mentitur Lutherus dicens Bullam insidiosè locutam: utpote, quæ ipsissima Lutheri verba candidè condemnavit; de sensu porrò verborum nihil decernit. Quis igitur hìc insidiarum locus, vel umbra?

Fateor tamen ex Lutheri responso manifestè convinci, quod Lutheri sententia fuerit, mortalia dubia non esse in confessione aperienda. Contendit enim, quod pœnitens sola illa debeat in confessione mortalia declarare, *quæ aut alijs, aut sibi manifesta sunt*: indubitatum autem est, quod ea de quibus pœnitens dubitat mortalia, *neque*

alijs, neque sibi manifesta sunt. Quare indubitatum etiam erit, quod ex mente Lutheri mortalia dubia non sint in confessione declaranda.

V. Et quamvis dubitari possit, utrum Lutherus tradiderit hanc doctrinam, priusquam articuli prædicti condemnarentur, (qua de re in sequentibus) tamen clarum esse existimo, quod ubi rescivit articulum illum octavum fuisse à Leone X. condemnatum, in mitiorem partem illum interpretatus fuerit, & manifesta non quibuslibet occultis, sed dubijs mortalibus opposuerit, ut hâc ratione plus odij & invidiæ adversus Pontificis execrabilem, ut loquebatur, bullam concitaret.

Quamvis autem manifestiora sint Lutheri verba, quàm ut dubitare nos patiantur, ne quid tamen ad pleniorem hujus rei discussionem desideretur, non erit inutile paucis examinare, quid tam de Lutheri doctrina, quàm de allegato ejus responso & subterfugio senserint, qui Lutheri doctrinæ restiterunt, catholici.

§. 2.

Idipsum ostenditur ex Ioanne Roffensi, & Eckio, Iacobo Latomo, & Cardinali Bellarmino de Lutheri doctrina scribentibus.

VI. PRimus in arenam prodeat doctus Christi Martyr Joannes Roffensis, qui cùm ea, quę ex Lutheri responso verba attulimus, refutanda sibi proposuisset, Lutherum

Lutherum sic aggreditur: [a] *tam involutè loqueris, ut nemini certò cognitum esse possit, quid loquaris. Sic enim dicis, & scribis, ut (cùm tibi libitum sit) omni possis anguillâ faciliùs elabi. Cæterùm, si velis articulum intelligi de mortalibus, quæ fugerint animum confitentis, nec adhibitâ congruâ diligentiâ redeunt in mentem, nihil ab Ecclesia dissides. Sin de ijs intellexeris, quæ confessus norit, vel* DUBITAT *esse mortalia, tum profectò articulus meritissimè damnatur: cùm nullum horum in confessione tegi posset absque manifesta fictione: neque Bulla, quæ te jure damnat ullis ob id convitijs meretur lacerari.*

[a] refut. art. 8. pag. 121.

Cùm dicat doctissimus hic Martyr Lutherum *jure damnari*, manifestum est, quod non juxta priorem à se datum sensum (utpote catholicum) intelligat verba Lutheri, sed juxta posteriorem, quo damnatur doctrina, quę tradit quod confessurus non debeat ea confiteri, quę *norit vel* DUBITAT *esse mortalia.*

Illud ipsum certissimè constat ex ijs, quæ initio responsionis ad eumdem articulum octavum scribit idem Roffensis: [b] *opinor*, inquit, *neminem usque adeò cæcum, & insanum, ut ob* UNIVS LUTHERI *sententiam, velit tanto discrimini seipsum exponere, quatenùs ea, quæ vel norit, vel* DVBITAT ESSE LETHALIA, *sacerdoti non aperiat.*

[b] pag. 113.

Et infrà concludens adversus Lutherum: [c] *id de quo* DVBITAT *quis an sit mortale peccatum, nihilo minùs confiteri tenetur, quàm quod sciret esse tale, quum ex æquo peccatorem obliget utrumque.*

[c] pag. 118.

VII. Roffensem excipiat, qui primus in arenam cum Luthero

Luthero Lipsicę congressurus descendit Joannes Eckius, qui capitis XI. lib.3. de pœnit. ponit hanc inscriptionem:
[a] pag.184 [a] OSTENDITVR CONTRA LUDDERVM ETIAM DVBIA ESSE CONFITENDA. Deinde caput sic orditur: *at veritatis studio demus Luddero benignam interpretationem, quam in præfata epistola Erasmus attulit, inquit enim sic: scripserat Ludderus nos non teneri ad confitendum peccata mortalia nisi manifesta, sentiens manifesta, quæ nobis essent nota. Quamvis glossa illa sit contra textum: sit ità, quod Ludder manifestum hîc posuerit non contra occultum, sed contra* DVBIUM, *quia peccata manifesta, id est, quæ nota sunt esse peccata, illa sunt confitenda. Assero adhuc Ludderum errare & peccasse in veritatem catholicam.* Et in progressu capitis agens de eadem Lutheri
[b] p. 185. doctrina post multa argumenta concludit, [b] *quod omnes catholici documentum hoc Ludderanum fugere debent velut pestem animarum, & toxicum Sacramenti pœnitentiæ. Fomentum enim præberet malitiæ, & occultationi peccatorum, nutrimentum esset desidiæ, & negligentiæ.*

VIII. Accedat Jacobus Latomus S.Theol. apud Lovanienses Professor celeberrimus, quique inter primos Luthero velut murum aheneum sese opposuit, & Alberti
[c] de scrip Eccl. parte 2. pag.40. Myræi testimonio: [c] *primas Novatorum fraudes detexit, & conatus impios fregit.* Scribit itaque strenuus ille Lutheri Antagonista ad articulum tertium Lutheri à Lovanien-
[d] pag.31. col.2. sibus condemnatum: [d] *qui* DUBITAT *an peccaverit mortaliter, an non, & an consensus ad illicitum sit mortalis, vel perfectus & plenus, an non? nonne tutiùs erit confiteri? & quis*

secundum

ſecundum Martinum (Lutherum) *ſecurum reddet pœnitentem de remiſſione? nonne in tali caſu non confitens amat periculum contra illud Eccleſiaſtici tertio, qui amat periculum peribit in illo?*

IX. Denique, ut omnis dubitationis amoveatur umbra, Cardinalis Bellarmini in Lutheri ſcriptis verſatiſſimi lucidiſſimam profero non modò ſententiam, verùm etiam ratiocinationem. Sic enim libro 3. de pœnitentia capite 1. diſcurrit: *Dubitari ſolet, quid per manifeſta peccata, quæ ſola ad confeſſionem pertinere voluit Lutherus, intellexerit: non enim defuerunt olim, qui eum excuſare vellent. Aut igitur manifeſta peccata occultis oppoſuit, aut dubijs, aut omninò incognitis etiam ipſi peccatori. De omninò incognitis non poteſt eſſe locutus, ea ſiquidem ne catholici quidem volunt eſſe confitenda, neque carnificam Lutherus appellaſſet ſententiam catholicorum, ſi in eadem ſententia etiam ipſe fuiſſet. De occultis non ſe etiam locutum teſtatur ipſe in aſſertione octava. Quare id ſolùm reſtat, ut de* DUBIIS *intellexerit : qui certè* NON PARVUS EST ERROR. col. 1340.

Non potuit luculentiùs aſſeri, aut efficaciùs convinci, Luthero manifeſta peccata dici, quæ non ſunt dubia, ac proinde ex ejuſdem ſententia, mortalia dubia non eſſe in confeſſione declaranda. Aliquid tamen lucis accedet ex ijs quæ ſtatim ſubjungemus, quibus oſtendetur, quod Lutherus diu ante condemnationem pontificiam ità ſenſerit, ubi & cauſam allegabimus, cur inſiſtendo principijs doctrinæ à ſe traditæ nō potuerit aliter docere.

§. 3. *Luthe-*

§. 3.

Lutherus ante omnem condemnationem Leonis X. docuit mortalia dubia non esse in confessione exponenda: idque constat ex ipso sermone de pœnitentia unde articulus 8. desumptus est. Articulo 8. mendosè legitur MANIFESTA, *legendum* MANIFESTE MORTALIA.

X. EX dictis puto constare Lutherum saltem post cōdemnationem Leonis X. docuisse peccata mortalia dubia non esse in confessione recensenda: lubet nunc *plus ultrà* progredi, & investigare quid senserit priusquam emanaret ulla condemnatio Leonis X.

Et quidem minimè dubito, quin Erasmus Roterodamus in ea fuerit sententia, quod Lutherus ante omnem Leonis X. condemnationem manifesta opposuisset dubijs, non occultis. Sic enim scribit Alberto Cardinali moguntino calendis novembris anno 1519. septem & ampliùs mensibus ante omnem pontificiam articulorum Lutheri condemnationem: *compertum est quosdam nominatim damnasse* (in Luthero) *quæ non intellexerant. Quorum illud est unum. Lutherus scripserat nos non teneri ad confitendum peccata capitalia nisi manifesta, sentiens manifesta, quæ nobis confitentibus essent nota. Id quidam sic interpretans, quasi manifesta essent, quæ* PALAM *essent admissa, vociferatus est miris modis in re non intellecta.* Ubi ex sententia Erasmi Lutherus *manifesta* nō vult esse quæ *palàm* facta sunt, sed quæ *nobis confitentibus* manifestè *nota* sunt.

Verùm,

Verùm, quia non est tanta Erasmi authoritas, quin facilè negari possit, & insuper Lutherum sic explicat Erasmus, ut ab errore vendicet, nolo ipsius authoritate præsentem doctrinam stabilire.

XI. Appello itaque ad ipsum Lutherum, imò ad illum ipsum sermonem de pœnitentia, *diu ante condemnationem pontificiam* [a] conscriptum, ex quo desumptus est articulus octavus à Leone X. condemnatus. Quid prædicto sermone doceat Ludderus juvabit discere à Joanne Eckio libro 3. de pœnitentia capite 9. [b] *quomodò*, inquit, *de peccatis mortalibus sentiat eo sermone* (de pœnitentia) *audiamus. Nam cùm jussisset nullo modo confitenda peccata venialia, subdit, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas: ad impossibile autem nemo obligatur. Vnde in primitiva ecclesia solùm manifesta mortalia confitebantur.* En articulum octavum. Ut autem sciremus quis sit sensus hujus articuli, subjungit Eckius ex eodem sermone hæc alia Lutheri verba præcedentem articulum declarantia: *ideò duplici sis modo confitendi instructus: uno quo sacerdoti omnia manifestè mortalia confitearis: quamquam difficilè sit discerni mortalia à venialibus: & nisi sint in opere manifesto, aut* EVIDENTI CONSENSV CORDIS, *ut maledictio, furtum, homicidium, luxuria,* IRA &c. *alio quo Deo cõfitearis reliqua omnia. Hæc Ludderus,* inquit Eckius.

[a] apud Eckium l.3. de pœnit. c. 10. p. 183

[b] pag. 183.

Ex his verbis clarissimum esse opinor, quod Lutherus peccata manifesta non opposuerit occultis, sed dubijs. Si enim manifestum occulto opponeret, velletque sola

ſola publica, id eſt, *quæ palàm eſſent admiſſa*, in confeſſione declaranda, prout interpretabatur quidam Carmelita, cujus meminit Eraſmus epiſtolâ immediatè citatâ, profectò nunquam Lutherus ſub diſiunctione dixiſſet: *niſi ſint in opere manifeſto, aut evidenti conſenſu cordis.* Neque enim *conſenſus cordis*, prout *ab opere manifeſto* diſtinguitur, publicè palamque admittitur.

Accedit inſuper, quod illis particulis: *ira, &c.* videatur Lutherus omninò intellexiſſe peccata merè interna: ſiquidem *ira*, prout *ab homicidio*, & *opere manifeſto* diſtinguitur, peccatum eſt merè internum. Unde verba illa
[a] ver. 22. Matthæi quinto, [a] *qui iraſcitur fratri ſuo*, ad internam nocendi voluntatem referre conſueverunt interpretes, ſive,
[b] c. 40. pag. 276. ut loquitur Janſſenius in Concordia, [b] *ad iram, quam quis in corde retinet compreſſam*: planeque hoc exigit textus verborum Chriſti gradatim procedentis per gradus iræ, ſeu motuum tendentium ad homicidium. Nam *primus*
[c] in cap. 5. Matth col. 121. *gradus*, inquit Maldonatus, [c] *eſt ira in verba non erumpens, ſecundus contumelioſum verbum ex ira proficiſcens, tertius magis contumelioſum, quo fatuus, aut ſtultus appellatur.*

Fieri etiam potuit, quod Lutherus loco particulę *&c.* quam exhibet Joannes Eckius, poſuerit peccata quędam interna, cujuſmodi eſt invidia, vel certè ſi iiſdem particulis *&c.* uſus fuerit Lutherus, ſecutus Apoſtolum ad Ga-
[d] verſ. 21 latas quinto [d] comprehenderit etiam inimicitias, emulationes, invidiam, aliaque peccata, quorum ſeriem nobis ibidem proponit Apoſtolus.

Quinimmò

Quinimmò, re benè consideratâ, negari non potest, quin Lutherus sermone de pœnitentia docuerit peccata occulta & interna in confessione declaranda: nam verba illa articuli octavi: [a] *in primitiva Ecclesia solùm manifesta mortalia confitebantur*, primùm probat ex Apostolo 1. ad Cor. 5. deinde ex prædicto loco ad Galatas 5. *Manifesta sunt opera carnis &c.* Certum est autem Apostolum ad Galatas quinto comprehendere peccata etiam occulta & interna, cujusmodi ab Apostolo enumerantur *inimicitiæ*, & *æmulationes*. Falsum ergo est, quod Lutherus dicto sermone de pœnitentia docuerit sola peccata publica esse in confessione exponenda: ergo ulteriùs falsum est, quòd manifesta peccata opposuerit occultis & consequenter verum, quod opposuerit peccatis dubijs.

XII. Atque ita Lutherum intellexisse videtur Jacobus Latomus ad articulum tertium, [b] nam cùm allegasset verba jam citata Lutheri: *ideò duplici sis confitendi modo instructus &c.* colligit Lutherum docere peccata mortalia dubia non esse in confessione explicanda. Sic enim infert: *qui* DUBITAT *an peccaverit mortaliter, an non, & an consensus ad illicitum sit mortalis, vel perfectus & plenus, an non? nonne tutiùs erit confiteri? & quis secundum Martinum* (Lutherum) *securum reddet pœnitentem de remissione? nonne in tali casu non confitens amat periculum &c.*

XIII. Quapropter non usquequaque falsum videtur, quod Lutherus ipse dicit apud Roffensem, [c] constare ex

a apud Eckium Pag. 183 col. 1.

b Pag. 31 col. 2.

c refut. art. 8. pag. 119

 propo-

propositionibus, & dictis suis, quod fuisset locutus de mortalibus, quæ aut alijs, aut sibi manifesta sunt; quandoquidem illo ipso sermone de pœnitentia, unde desumptus est articulus damnatus disertè egisset de ijs, quę *opere manifesto* ALIIS, *vel evidenti cordis consensu* SIBI MANIFESTA SVNT.

XIV. Pro complemento doctrinæ hujus paragraphi lubet observare articulum octavum Lutheri, prout circumfertur, sive librariorum incuriâ, sive alia ex causa à plerisque mendosè legi. Communiter enim sic legitur: *unde in primitiva Ecclesia solùm manifesta mortalia confitebantur*: cùm tamen legi deberet: *manifestè*, ut sit adverbium, non nomen. Sic enim constanter legit Roffensis, dum prædictum articulum citat & refutat. Magni autem ponderis est dicti Roffensis testimonium in præsenti negotio, propterea quòd incredibile sit prudentem illum Martyrem adulterasse articulum, quem ex Lutheri scriptis excerptum sibi refutandum proposuerat.

Cum Roffensi legit Cardinalis Bellarminus libro 3. de pœnitentia cap. 1. dum ità describit Lutheri de confessione errorem: [a] *in sermone de pœnitentia docet* (Lutherus) *non esse confitenda venialia, nec omnia mortalia, sed ea tantùm, quæ sunt* MANIFESTÈ *mortalia*. Et infrà: *articulo octavo negat* (Lutherus) *omnia peccata mortalia esse confitenda, & addit in antiqua Ecclesia sola peccata* MANIFESTÈ *mortalia ad confessionem adduci consuevisse.*

[a] col. 1339. 1340.

Sic etiam legit Petrus Cudsemius in speculo Ecclesię, ubi

ubi sic habet : [a] *in visitatione sua saxonica, & in sermone de pœnitentia asserit* (Lutherus) *non esse confitenda omnia peccata, neque venialia, neque mortalia, sed* MANIFESTè *mortalia.* [a] loco 23 pag. 223.

Quin ex ipso Luthero facilè ostendi potest legendum esse *manifestè*, non *manifesta*. Nam eo sensu & locutionis genere propugnat articulum suum 8. apud Roffensem.[b] *fuisse*, inquit, *in primitiva Ecclesia solũ* MANIFESTè *mortalia confessionibus tractata, satis probant epistolæ Pauli, Patrum scripta & historiæ, quas Bulla tam impudenter damnare audet.* [b] pag. 128

Et in ipso sermone de pœnitentia, verbis, quæ damnantur in articulo octavo, subjungit hanc conclusionem : *ideò duplici sis modo confitendi instructus : uno quo sacerdoti omnia* MANIFESTè *mortalia confitearis &c.*

Fuit autem Luthero familiaris modus ille loquendi, nam Jacobus Gretserus Societatis Jesu Theologus in summula casuum conscientię de Sacramentis ex Luthero, Calvino, & Beza fideliter collecta, exhibet nobis hæc Lutheri verba in colloquio germanico titulo de confessione auriculari : [c] *hominum quivis peccata mortalia, quæ* MANIFESTè *mortalia sunt, & conscientiam gravant, debet confiteri, cætera missa faciat.* [c] qu. 9. pag. 128.

Idem Gretserus infrà exhibet nobis similia Lutheri verba ex tractatu de ratione confitendi:[d] *hoc ego contentus sum, quod non omnia peccata cordis sint confitenda. Si autem aliqua sunt confitenda, ea tantùm assero, quæ ipse* MANIFESTè *scit sese contra divina mandata in corde statuisse.* [d] qu. 14. pag. 134.

Ex quibus omnibus manifestè apparet castigandam esse vulgarem lectionem articuli octavi Lutherani, & cum Roffensi, Bellarmino & alijs legendum esse *manifestè mortalia*, non *manifesta*.

Sed & illud manifestè apparet quo sensu docuerit Lutherus nonnisi peccata manifestè mortalia in confessione declaranda: sensus enim est planus, facilis & obvius, quod sola illa peccata sint in confessione declaranda, quæ *manifestè*, id est *perspicuè*, *clarè*, *& citra omnem dubitationem* noscuntur esse mortalia, qualia sunt, quæ versantur *in opere manifesto, aut evidenti consensu cordis*. Juxta quam interpretationem perspicuum est ab obligatione confitendi excludi peccata dubia, non occulta.

§. 4.

Præoccupatur quædam ad prædicta responsio. Argumenta in oppositum sic retorquentur, ut ex objectis Lutheri verbis præcedens doctrina evidentissimè confirmetur.

XV. AD ea, quæ paragrapho præcedenti fundata, & optimè constituta sunt, non occurrit, quid cum specie veritatis responderi possit, nisi fortè, quod Lutherus *per evidentem consensum cordis* intelligere voluerit illum, qui externo aliquo signo alijs sese manifestat, & hâc ratione peccatum publicum facit.

Verùm, quid est, si hoc non est, divinare? quo enim indicio, quâ conjecturâ deprehenditur, tam aliena à verborum significatione, Lutheri intentio? quid? quod circumstan-

cumſtantiæ ipſius locutionis Lutheranæ tali conjecturæ invictiſſimè reſiſtunt? Siquidem Lutherus expreſsè diſtinguit peccata, quæ ſunt *in opere manifeſto*, à peccatis, quæ ſunt *in evidenti conſenſu cordis*: quæ tamen diſtinctio funditùs ruit, ſi vera ſit data reſponſio.

Patet hoc, quia adulterium, aut aliud quodvis peccatum *in opere manifeſto*, juxta hanc reſponſionem deberet dici *evidens conſenſus cordis*, quatenus adulterium manifeſtat interiorem conſenſum cordis. Item *evidens conſenſus cordis* v.g. invidiæ, odij *&c.* ſigno externo manifeſtatus deberet dici *opus manifeſtum*, manifeſta enim eſt invidia, odium *&c.* quandò talia ſigna externa accedunt, quæ invidiam, odium *&c.* manifeſtant, & quodammodò publicæ notitiæ inſinuant.

XVI. Deniq; ne quid ſuperſit ſcrupuli lubet ex ipſius Lutheri tractatu de ratione confitendi oſtendere quid per evidentem conſenſum cordis intellexerit; ſi tamen priùs ex Joanne Eckio [a] Lectori ſignificavero, quod Lutherus *ſermonem de pœnitentia primò fecerit*, & deinde *anno nondum elapſo rationem confitendi in lingua germanica vernacula emiſerit, quæ poſteà per ſui erroris ſectatores Baſileæ ex prælo latinè eſt reddita.*

[a] l. 3. de pœnit. c. 10. p. 183

In hac itaque ratione confitendi, quamvis Lutherus ſubdubitet jam impudentior factus, utrùm oporteat confiteri occulta peccata cordis, tamen expreſſit, quid per *evidentem conſenſum cordis* intellectum voluerit.

Verba Lutheri ſic nobis exhibet memoratus Jacobus Gretſerus quæſtione 14. [a] *hoc ego contentus ſum, quod non omnia peccata cordis ſunt confitenda. Si autem aliqua ſunt confitenda, ea tantùm aſſero, quæ ipſe* MANIFESTÈ SCIT *ſeſe contra mandata divina* IN CORDE STATVISSE.

[a] pag. 134.

Ecce, quid ſit *evidens conſenſus cordis*, quandò nimirùm quiſpiam *manifeſtè ſcit ſeſe contra mandata divina in corde ſtatuiſſe peccare*. Non dicit, *in externo ſigno, vel opere*, ſed *in corde ſtatuiſſe*, quod nullâ ratione dependet ab externa manifeſtatione: & ipſum vocabulum *ſtatuiſſe* ſatis indicat agi de peccato, quod interiùs in animo abſolvitur, quamvis exteriùs non manifeſtetur.

XVII. Non ignoro ab hac doctrina diſſentire Joannem Eckium, qui Carmelitæ, cujus ſuprà meminimus,[b] cauſam adeò ſuſcepit, ut diceret, quod [c] *omnis homo, qui ſpirat, qui habet micam ſani judicij citra affectionem mox ſentiat ex inductione Ludderum loqui de manifeſto, ut pugnat cum occulto.*

[b] nu. 11.
[c] l. 3. de pœnit. c. 10. pag. 184.

Sed ejus authoritate induci non poſſum, ut à propoſita ſententia diſcedam, propterea, quod ijs utatur argumentis, quibus non modò reſpondere, verùm etiam ſententiam noſtram retorquendo evidenter probare ſit facillimum.

Primùm itaque objicit nobis verba Lutheri in tractatu de ratione confitendi ſic Latinè reddita: [d] *an peccata cordis occulta, ac ſic ſoli Deo, & homini, qui fecit ea, cognita perti-*

[d] ibid. pag. 183.

pertineant ad confeßionem ſacramentalem, extra meum captum eſt: lubentißimè negarem, nec enim ullâ viâ, aut ratione, aut ſcriptis probari poteſt. Et infrà pergit: *ſi oporteat occulta confiteri.* Ex quibus concludit Eckius, quod in ſermone de pœnitentia Lutheri intentio fuerit, quamvis *ob ſermonis brevitatem involuta*, docere, quod occulta mortalia non ſint in confeſſione declaranda.

XVIII. Verùm oppoſitum ex verbis allegatis colligi debuerat. Sic enim lubet argumentari: Lutherus in tractatu de ratione confitendi dicit eſſe *extra ſuum captum, an peccata cordis occulta pertineant ad confeßionem ſacramentalem?* ergo anteà in ſermone de pœnitentia non negaverat pertinere. Item Lutherus ibidem dicit, quod *lubentißimè negaret*: ergo anteà in ſermone de pœnitentia non negaverat. Item Lutherus ibidem loquitur ſub conditione, *ſi oporteat occulta confiteri*: ergo anteà non docuerat, abſolutè quod non oporteret occulta confiteri.

Similem argumentandi rationem nobis ſuppeditant verba Lutheri ex eodem tractatu de ratione confitendi ſuprà relata ex Gretſero: [a] dicit enim Lutherus: [a] nu. 16.
hoc ego contentus ſum, quod non omnia peccata cordis ſunt confitenda: ergo non docuerat ſermone de pœnitentia, quod nulla peccata cordis eſſent confitenda. Item dicit Lutherus ibidem: *ſi autem aliqua ſunt confitenda &c.* Ergo anteà non docuerat abſolutè nulla peccata cordis confitenda.

Quare tantùm abeſt, ut à ſententia nos dimoveat

Eckij

Eckij ratiocinatio, ut è diverso sententiam nostram citatis ab Eckio Lutheri verbis clarissimè probari putemus. Non enim dubitasset Lutherus, an occulta cordis peccata forent in confessione declaranda, si priùs, ut vult Eckius, docuisset manifesta tantùm peccata, id est quæ palàm sunt facta, in confessione aperienda.

Quapropter ad argumentum Eckij respondetur verissimum esse, quod ibidem suggerit Eckius, scilicet Lutherum datum in reprobum sensum deteriora fuisse secutum, etiam contrà quàm ab initio senserit. Contigit enim Luthero, quod passim dicitur: *nemo derepentè fit malus.* Unde cùm in exordio suæ hæreseos docuisset peccata cordis non esse in confessione declaranda nisi adesset evidens cordis consensus, progressus in impudentia ausus est dubitare, an oporteret in confessione exprimere peccata cordis, etiam cum evidente consensu cordis.

XIX. Cæterùm, ne quid Lector desideret, audiamus alterum Eckij argumentum. Sic igitur colligit: [a] *quod Ludder omninò ità senserit, manifesta solùm peccata confitenda, id est, quæ palàm sunt facta, probo.... quoniam Apostolus Paulus, quem allegat Ludder, sic habet in nostra vulgata tralatione:* [b] *si qui frater nominatur inter vos, est fornicator, avarus &c. certum est Apostolum hic loqui de notorijs peccatoribus &c.* Ex quo infert: *quod omnis homo, qui spirat, qui habet micam sani judicij citra affectionem, mox sentiat ex inductione Ludderum loqui de manifesto, ut pugnat cum occulto.*

a l.3. de poenit. c. 10. pag. 184.

b 1. cor. 5. v. 11

Ultrò

Ultrò concedimus Joanni Eckio Apoſtolum loqui de notorijs peccatoribus, immò juxta Auguſtinum de peccatoribus in quos [a] *ſententia ordine judiciario, atque integritate profertur* : negamus tamen nos propterea non ſpirare, aut micam ſani judicij non habere, quamvis dicamus Lutherum ſermone de pœnitentia, non loqui de manifeſto, ut pugnat cum occulto. Quid ſi enim aſſeramus Lutherum intempeſtivè & præpoſterè adferre verba Apoſtoli? quid ſi dicamus (quod ipſi familiare eſt) ſacro textu abuſum ? quid flagitij, ſi homini flagitioſiſſimo imprudentiam, aut lapſum adſcribamus?

[a] hom. 56

Deinde argumentum retorqueri poteſt, quoniam Lutherus non tantùm allegat locum Apoſtoli Pauli ad Corinthios, ſed inſuper alium ad Galatas: [b] *manifeſta ſunt opera carnis &c.* certum eſt autem Apoſtolum ad Galatas non loqui de ſolis publicis, ſed etiam de occultis, cujuſmodi ſunt æmulationes, invidia &c:

[b] cap. 5 v. 19.

Ad argumentum itaque directè reſpondetur, locum Apoſtoli ad corinthios non adferri à Luthero, ut probet publica peccata in confeſſione declaranda: neque enim hoc ſpectabat ad Lutheri propoſitum; ſed locus ille, ſicut alter ad Galatas, adfertur à Luthero ad probandum dari quædam peccata MANIFESTè, id eſt certò & citra omnem dubitationem *mortalia*, ea ſcilicet, quæ 1. ad Corinth. 5. & ad Gal. 5. enumerantur. Contendit enim illa omnia ob expreſſam ſacrę ſcripturę locutionem eſſe manifeſtè.

D morta-

mortalia: reliqua autem de quibus non constat manifestè & citra dubitationem, quod sint mortalia, negat in confessione manifestanda ob rationem, quam subjungimus.

§. 5.

Ratio cur Lutherus juxta fundamenta doctrinæ suæ necessariò docuerit mortalia dubia non esse in confessione explicanda.

XX. IN promptu ratio est: docuerat enim Lutherus articulo 35. condemnato, quod *nemo sit certus se non semper peccare mortaliter propter occultissimum superbiæ vitium.* Huic autem doctrinæ consectarium erat, quod quilibet posset, & deberet semper dubitare, num in quolibet opere peccasset mortaliter. Ex quo ulteriùs sequebatur peccata mortalia dubia esse innumerabilia, quæ idcircò in confessione enumerari non possent. Quapropter ne præcepto confessionis contineretur aliquid observatu impossibile, negabat consequenter Lutherus mortalia dubia in confessione aperienda.

a apud Eckium l. 3. c. 9. p. 183. Fiet hoc perspicuum attentè legenti verba Lutheri: a *nullo modo confitearis peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas.* At quorsùm

b ar. 35. impossibile, nisi quia homo semper dubitat, & b *nemo certus est se non semper peccare mortaliter propter occultissimum superbiæ vitium?* hæc profectò, & non alia videtur esse ratio impossibilitatis à Luthero allegatæ. 21. Ne-

XXI. Neque verò à me primùm excogitata est hujusmodi observatio, insinuavit illam pridem Joannes Roffensis sic Lutherum compellans: [a] *inferiùs habes* (articulo 35.) *neminem esse certum se non semper peccare mortaliter propter occultissimum superbiæ vitium. Ex quo consequitur, quod de omni opere, quod facit peccator vereri debet ne sit mortale peccatum.* Ex quo ulteriùs consequitur, quod in sententia Lutheri peccata dubia, de quibus peccator in omni opere vereri debet ne sint mortalia, debeant etiam esse innumerabilia, quorum enumeratio in confessione sit impossibilis, ac propterea non præcipiatur. [a] refut. art. 8. p. 118.

Non debet ergo mirum videri, quod Lutherus docuerit mortalia dubia in confessione non esse exprimenda, cùm hoc planè connexum foret ejus articulo 35.

CAPUT SECUNDUM.

Quæ fuerit Leonis X. de proposita disquisitione sententia?

HActenùs studiosè, diligenterque investigavimus, & uti confido, assecuti sumus Lutheri de proposita disquisitione sententiam, neque à proposito nostro alienum duximus ipsum Lutherum interrogare, *quia*, ut rectè Tertullianus, [b] *& ex æmulis nonnunquam testimonium necessarium, si non æmulis prosit.* Superest, ut à tenebris Lutherani erroris ad oppositam veritatis catholicæ lucem, quam nobis præferet Leo X. convertamus mentis oculos. [b] lib. de anima cap. 2. pag. 343.

§. I.

Leo X. iteratâ constitutione damnavit doctrinam, quæ requirit manifestam scientiam, vel evidentem notitiam peccati mortalis, ut quis obligetur illud confiteri.

I. IActa sunt ea, toto capite præcedente, fundamenta, quibus non erit admodùm difficile catholicæ doctrinæ veritatem superstruere. Asserendum itaque imprimis ab homine catholico sustineri non posse, quod non sit obligatio confitendi mortalia, nisi de quibus habetur manifesta scientia, vel evidens notitia.

Manifestissimè hoc evincit duplex Leonis X. adversùs Lutherum constitutio, quarum prima, quæ incipit [a] *exurge Domine &c.* data est anno 1520. decimo septimo calendas Julij: altera, quæ incipit: [b] *decet Romanum Pontificem &c.* data est anno 1521. tertio nonas Januarij. Utraque enim constitutio damnat hunc octavum Lutheri articulum ex sermone de pœnitentia desumptum: *nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas. Unde in primitiva Ecclesia solùm manifestè mortalia confitebantur.* Cujus articuli damnati non est hic sensus, quem plerique falsè imaginantur, quod sola mortalia manifesta, id est publica & notoria sint in confessione declaranda, contrarium enim probatum est capite præcedenti: sed genuinus articuli prædicti sensus est, prout

[a] Bullar. tom. I. p. 614.
[b] ibid. pag. 618.

prout ostendimus etiam suprà, quod sola mortalia sint in confessione exprimenda, quæ *manifestè*, id est, *clarè, perspicuè, & citra omnem dubitationem* sunt mortalia, sive, ut ipse Lutherus loco, unde articulus desumptus est, exponit:[a] *quæ sunt in opere manifesto, aut evidenti consensu cordis*: & in assertione ejusdem articuli 8. [b] *quæ, aut alijs, aut sibi manifesta sunt*: & in tractatu de ratione confitendi: *quæ ipse manifestè scit sese contra divina mandata in corde statuisse.* De quibus toto capite præcedente. Ergo ab homine catholico sustineri non potest, quod non sit obligatio confitendi mortalia, nisi de quibus habetur manifesta scientia, vel evidens notitia. Nam illæ locutiones: *non oportet confiteri mortalia, nisi de quibus habetur manifesta scientia, vel evidens notitia*, nullo modo differunt ab his locutionibus Lutheri: *non oportet confiteri nisi mortalia, quæ sunt in opere manifesto, vel evidenti consensu cordis*, item *quæ alijs, aut sibi manifesta sunt &c.*

[a] serm. de pœnit apud Eckium pag 183.
[b] apud Roffen. pag 121.

II. Ex quo colligitur nullâ ratione defendi posse, quod alicubi tradit D. Caramuel pœnitentem non debere confiteri mortalia nisi de quibus habetur [c] *notitia scientifica*, vel nisi [d] *certò constet de delicti existentia*: quia doctrina illa damnatione articuli octavi perstringitur. Nihilo magis tolerari potest argumentum, quo infrà probat dubia in confessione non esse declaranda, quia [e] *in dubijs non datur* SCIENTIA: malè supponens quod non sit obligatio confitendi peccata, de quibus *non datur scientia.*

[c] p 678.
[d] p. 679.
[e] ibidem

§. 2.

Eâdem Leonis X. condemnatione videtur perstringi doctrina, quæ negat mortalia dubia in confeßione explicanda.

III. ASsero insuper, quod sententia, quæ negat mortalia dubia in confessione explicanda, videatur iteratâ Leonis X. de qua paragrapho precedenti, condemnatione perstringi. Assertio hæc non æquè evidenter, ac præcedens infertur ex condemnatione articuli octavi lutherani. Quid si enim quis neget hanc consequentiam, quam capite præcedenti supposuimus: *Lutherus peccata manifestè mortalia non opposuit occultis, ergo dubijs?*

Existimo tamen efficaciter, etsi non æquè evidenter, ex condemnatione articuli octavi lutherani probari assertionem positam. Stat enim, stabitque invictum illud Roberti Bellarmini argumentum: [a] *aut Lutherus manifesta peccata occultis opposuit, aut dubijs, aut omninò incognitis, etiam ipsi peccatori. De omninò incognitis non potest esse locutus, ea siquidem ne catholici quidem volunt esse confitenda, neque carnificinam Lutherus appellasset sententiam catholicorum, si in eadem sententia etiam ipse fuisset. De occultis non se etiam locutum testatur ipse in assertione octava*, & nos toto capite præcedenti probavimus. *Quare id solùm restat, ut de* DUBIIS *intellexerit: qui certè* NON PARVUS EST ERROR.

[a] l. 3. de pœnit. c. 1. pag. 1340

Et

Et verò, nisi fateamur octavo Lutheri articulo condemnari doctrinam catholicorum, oportet aliquod discrimen inter Lutherum, & catholicos agnoscere. Quare dum Lutherus affirmat sola manifestè mortalia in confessione exponenda, oportet, ut ab onere confessionis excludat quædam peccata, quæ catholici confessionis obligationi subijciunt: non occurrunt autem alia peccata mortalia, quæ potuerit & voluerit Lutherus ab onere confessionis excludere, quàm mortalia dubia, cùm occulta, quæ sunt in *evidenti consensu cordis* doceat in confessione declaranda, & occulta prorsus ignota, nemo catholicus doceat in confessione explicanda.

Accedit quod connexio doctrinæ ipsius Lutheri exigeret, ut manifestè mortalia opponeret peccatis dubijs, prout capite primo §.5. declaratum fuit. Quare cùm non possit commodè de alijs peccatis intelligi, quorsùm dubitemus de mortalibus dubijs intelligere?

Denique firmat præsentem assertionem, quod catholici scriptores, quorum meminimus capite 1. §.2. unanimiter tribuant Luthero, quod manifestè mortalia opposuerit dubijs, & dicant articulum meritissimè damnari, cœcum & insanum esse, qui cum Luthero sentiat, Lutherum errare, & peccasse in veritatem catholicam, quodque in tali casu non confitens amet periculum, contra illud Ecclesiastici tertio, *qui amat periculum peribit in illo?* prout videri potest loco citato.

§. 3. *Confu-*

§. 3.

Confutatio cujusdam, quæ ad prædicta adferri posset, responsionis.

I. SPerabit fortè quispiam allati argumenti vim declinare, respondendo articulos prefatos non condemnari in sensu, quem continent scripta Lutheri, sed absolutè, nullâ habitâ consideratione scriptorum Lutheri. Unde, quod spectat articulum 8. de quo est quæstio, dici poterit, quod Pontifex dicto articulo, nihil aliud voluerit decernere, quàm, quod non sola peccata publica & notoria sint in confessione manifestanda; quidquid sit de mente, & scriptis Lutheri.

Sed indignum est confutatione tam infirmum & debile responsum. Ut quid enim Pontifex utramque constitutionem adversus Lutherum direxisset, si nullam Lutheri, aut scriptorum ejus rationem haberi voluisset? quorsùm tam frequens & odiosa Lutheri in utraque constitutione mentio, si nulla doctrinæ Lutheri haberetur consideratio? Quid? quod Pontifex primâ suâ constitutione expressè & nominatim dicat, quod [a] *errores præfati & plures alij continentur in libellis, seu scriptis Martini Lutheri?* Ergo prædicti articuli non damnantur absolutè, & nullâ scriptorum Lutheri habitâ consideratione, sed prout continentur in libellis seu scriptis Martini Lutheri.

a §. 5. p. 616.

Deinde,

Deinde, gravissima illa Pontificis de Luthero querimonia: [b] *dudum siquidem, quod præ animi angustia & mœrore exprimere vix possumus, fide dignorum relatu, ac famâ publicâ referente ad nostrum pervenit auditum, immò verò prô dolor!* OCULIS NOSTRIS VIDIMUS, AC LEGIMUS *multos & varios errores &c.* quò spectat, nisi, ut doceamur articulos damnari non vago & incerto sensu, sed eo quem Pontifex proprijs oculis, videndo & legendo, ex scriptis Lutheri discere potuerat? b §. 1. pag. 615.

Denique testatur ibidem Pontifex, quòd articulorum prædictorum damnatio facta est, [c] *habitâ super prædictis erroribus & eorum singulis diligenti trutinatione, discussione, ac districto examine, maturâque deliberatione, omnibusque ritè pensatis, ac sæpiùs ventilatis cum venerabilibus fratribus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus &c.* Ergò actum est de scriptis Lutheri, & sensu articulorum in ejus libris contentorum: quò enim aliàs spectaret tantus apparatus *diligentis trutinationis, discussionis, districti examinis, maturæ deliberationis &c.* nisi, ut ageretur de articulis & propositionibus ad Lutherum, ejusque scripta pertinentibus? falsùm proinde apparet, quod articuli prædicti damnentur absolutè & nullâ habitâ scriptorum Lutheri consideratione: ac per consequens falsum est, quod Leo X. per manifestè mortalia intellexerit ea dumtaxat, quæ publica & notoria sunt, item, quod de mente Lutheri nihil sollicitus fuerit. c §. 3. pag. 615.

E Immò

V. Immò quàm plurimæ ſunt, quæ mihi ſuadeant, conjecturæ, quod Leo X. priuſquàm ederet poſteriorem ſuam conſtitutionem, ſciverit Lutherum articulo 8. manifeſtè mortalia non oppoſuiſſe peccatis occultis, ſed dubijs. Siquidem diu ante poſteriorem hanc conſtitutionem Eraſmus roterodamus doctrinam articuli 8. interpretatus fuerat de peccatis mortalibus, non palàm factis, ſed quæ nobis confitentibus eſſent nota, ut conſtat ex dictis. [a] Omninò autem veriſimile eſt, quod interpretatio illa Eraſmi, ſicut & ejuſdem litteræ ad Cardinalem moguntinum datæ, venerint in notitiam Leonis X. antequam poſteriorem conſtitutionem conderet, interfluxit enim ſpatium quatuordecim, ut minimùm, menſium. Similiter credibile eſt, ante poſteriorem conſtitutionem innotuiſſe Pontifici, quod Jacobus Latomus eumdem articulum de peccatis dubijs explicaret, ſcripſit enim Latomus integro anno ante poſteriorem Leonis X. conſtitutionem, prout conſtat ex epiſtola proœmiali ad Rodolphum de Monckedamis data anno 1520.

a cap. 1. n. 10.

Quin etiam ſpecie veritatis non caret, quod Pontifex ante poſteriorem conſtitutionem viderat & legerat aſſertionem omnium articulorum &c. de qua ſupra [b], in qua Lutherus declarat per manifeſtè mortalia ſe non intelligere publica, ſed quæ alijs, aut ſibi manifeſta ſunt. Nam videtur ad illam aſſertionem ſeſe referre Pontifex, quando

b c. 1. nu. 3. & 4.

quandò dicit de Luthero: [a] *tamquam petra ſcandali pejora prioribus contra nos, & hanc ſanctam ſedem, & fidem catholicam ſcribere, & prædicare non eſt veritus.* Hoc enim ſi uſquam, certè commemoratâ aſſertione fecit inſolentiſſimè. Unde facilè mihi perſuaſero, quod aſſertio illa, quam teſtatur Cochlæus [b] anno 1520. conſcriptam, fuerit, per ipſum fortè Cochlæum, Romam ad ſanctam ſedem quantociùs tranſmiſſa, quandoquidem plurimùm intererat Sedis Apoſtolicę hujuſmodi blaſphemias cognoſcere. Teſtatur etiam Bellarminus, [c] quod Lutherus poſt condemnationem pontificiam, addidit MOX aſſertionem prædictam. Et verò titulus ipſe aſſertionis lutheranæ, quo Lutherus jactat ſeſe aſſerere *omnes articulos per Bullam Leonis decimi* NOVISSIMAM *damnatos*, abundè ſignificat non multùm temporis interjectum fuiſſe inter Leonis X. noviſſimam condemnationem, & oppoſitam Lutheri aſſertionem.

[a] tom. 1. Bull. §. 2. pag. 618.

[b] pag. 28.

[c] l. 1. de Indulg. c. 1. col. 1560.

VI. Quæ omnia ſimul collecta valdè vehementem conjecturâ nobis ingerunt, quod Leo X. ſciverit Lutherum articulo octavo manifeſtè mortalia oppoſuiſſe dubijs, non occultis, ſaltem antequam ultimam ſuam conſtitutionem ederet. Quapropter cùm nihilominus Pontifex preſtiterit in condemnatione omnium eorumdem articulorum, apparet eo ſenſu damnatum eſſe articulum octavum, quo Lutherus manifeſtè mortalia opponebat peccatis dubijs, non occultis, & negabat mortalia dubia in confeſſione eſſe declaranda.

E 2 Cap. 3.

CAPUT TERTIUM.

Quæ fuerit Concilij Tridentini de confessione mortalium dubiorum sententia?

a p. 678. I. CAramuel in sua Theologia fundamentali [a] putat veritatem esse, quæ *clarissimis verbis Tridentini* probetur, peccata mortalia dubia non esse in confessione aperienda. Cujus sententiæ accedere videntur nonnulli è recentioribus sentientes eam doctrinam, si non veritati, saltem doctrinæ à synodo tridentina traditæ conformiorem. Verùm absit, ut synodus tridentina Leonis X. constitutionibus contradixerit, & non potiùs Lutheri doctrinam reprobaverit.

Et quidem fateor, quod Concilium tridentinum non declaraverit disertis, & expressis verbis mortalia dubia in sacramentali confessione necessariò explicanda esse: nihilominùs existimo tam urgentibus & manifestis indicijs hoc ipsum à tridentino tacitè insinuatum, ut argumenta, & probationes, quas subministrat, intellectui non præoccupato plenam fidem facere possint & debeant: ac propterea veritatem hîc obtinere debeat vulgare dictum Jurisconsultorum, quod [b] *expressi & taciti par sit virtus, & potentia.* Priusquàm autem argumenta, & probationes in medium proferam, operæ pretium erit investigare, quid de Lutheri dogmatibus sanxerit tridentinum? fortassis enim etiam inde aliquid lucis accedet.

b apud Everard. loco 17. p. 171.

§. 1. *Triden-*

§. I.

Tridentinum universis canonibus de sacramento pœnitentiæ perstringit, vel doctrinam, vel plerumque ipsissima Lutheri verba.

II. QUamvis synodus tridentina agens de confessione sacramentali non perstringat nominatim Lutherum, quemadmodùm nec solet alios hæreticos, quorum errores condemnat; tamen indubitatum est, quod, cùm sessione 14. damnat varios errores de confessione sacramentali fidei catholicæ oppositos, ad Lutheri doctrinam attenderit, eamque specialiter perstringere voluerit. Cujus rei infallibile est argumentum, quod omnes prorsùs canones de Pœnitentia damnati à tridentino, vel doctrinam, vel plerumque ipsissima Lutheri verba anathemate feriant. Conferamus doctrinam doctrinæ, & verba verbis.

Canon primus tridentini sic habet: *si quis dixerit in Ecclesia catholica Pœnitentiam non esse verè, & propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anathema sit.*

Quid porrò Lutherus? libro de captivitate babyl. PROPRIè, inquit, *ea sacramenta vocari visum est, quæ annexis signis promissa sunt; quò fit, ut si rigidè loqui volumus tantùm duo sint in Ecclesia Dei sacramenta, Baptismus & Panis; cùm*

nis, cùm in his solis, & INSTITUTUM *divinitùs signum, & promissionem remissionis peccatorum videamus.* Nam POENITENTIÆ SACRAMENTUM, *quod ego his duobus accensui signo visibili, & divinitùs* INSTITUTO *caret.* Ex quibus verbis ità statuit Bellarminus, [a] *verum, & propriè dictum, sacramentum esse Pœnitentiam, primus negavit hoc nostro sæculo Lutherus.* Et infrà: *adversus hunc errorem edidit synodus tridentina canonem primum sess.* 14. de quo jam agimus.

a lib. 1. de pœnit. c 9. col. 1192

Canon secundus tridentini sic habet: *si quis sacramenta confundens ipsum Baptismum, Pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint, atque ideò Pœnitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.*

Quid verò Lutherus? teste Bellarmino, [b] *primus author fuit* erroris hoc canone damnati: quod colligit ex verbis illis ejusdem libro de capt. Babyl.: *præbuit his opinionibus occasionem verbum illud periculosum D. Hieron. sive malè positum, sive malè intellectum, quo* POENITENTIAM APPELLAT SECUNDAM TABULAM POST NAUFRAGIUM, QVASI BAPTISMUS NON SIT POENITENTIA. *Hinc enim ubi in peccatum lapsi fuerint, de prima tabula, seu navi desperantes,* SECUNDÆ *tantùm incipiunt niti, & fidere* TABULÆ, *id est Pœnitentiæ.* Et infrà: *Pœnitentiæ sacramentum aliud non esse dixi, quàm viam, ac reditum ad Baptismum.*

b lib. 1. de pœnit. c. 12 col. 1214

Canon tertius tridentini sic habet: *si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris:* [c] *accipite Spiritum sanctum quorum*

c Ioan. 20. v. 23.

quorum remiseritis &c. non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit anathema sit.

Quid hîc Lutherus? *hunc locum* Joannis 20. *ità mordet, ut non vereatur pronuntiare: si aliquis locus Bibliæ repugnet clancularia Confeßioni, tunc hic præsens existat*, prout refert Eckius lib. 4. de pœnit. c. 6.[a] Apud quem fusiùs videri potest prava verborum Christi: *quorum remiseritis &c.* à Luthero data interpretatio, ex qua inter cætera infert: *absolutionem esse juris pœnitentis, non Confessoris, quodque pœnitens habeat jus eam exigendi, sed sacerdos non habeat potestatem eam denegandi.* a pag. 195.

Quod autem Tridentinum dicat anathema, *si quis verba Christi: quorum remiseritis* &c. *detorserit contra institutionem hujus sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium*, etiam ad Lutherum pertinet; nam *effugium* illud *est omnibus hæreticis*, ac proinde etiam Luthero, *commune*, explicare verba Christi *de remißione peccatorum non judiciaria, & ex potestate quadam quasi prætoria, sed per Evangelij prædicationem*, prout docet nos Bellarminus lib. 1. de pœnit. cap. 10.[b] Et verò nihil Luthero fuit familiarius, quàm remissionem peccatorum tribuere fidei per Evangelij prædicationem excitatæ. Undè in assertione articuli 12.[c] *nostri*, inquit, *adulatores malunt remissionem peccatorum tribuere potestati ministrorum, ut in se confidamus, quàm fidei, quâ in Dei verbum credamus.* b pag. 1194. c apud Roff. pag 131.

Canon

Canon quartus tridentini ſic habet: *ſi quis negaverit ad integram, & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam ſacramenti Pœnitentiæ, videlicet, Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionẽ, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur &c. anathema ſit.*

Quid econtrà Lutherus? TRES *eſſe* PARTES POENITENTIÆ, VIDELICET, CONTRITIONEM, CONFESSIONEM, SATISFACTIONEM, *non eſt fundatum in ſacra ſcriptura, nec in antiquis ſanctis Doctoribus*, inquit articulo quinto. Et diu poſteà in refutatione articulorum Lovanienſium

[a] l. 1. de pœnit. cap. 19. pag. 1236 propoſitione 37. [a] POENITENTIA, inquit, *à Lovanienſium ſynagoga tradita (ſcilicet, quod ſit* CONTRITIO, CONFESSIO, & SATISFACTIO) *eſt nulla niſi Iudæ proditoris, & ſimilium, ideò ut hæretica eſt damnanda.*

Eodem Canone tridentinum infligit anathema, *ſi quis dixerit duas tantùm eſſe Pœnitentiæ partes, terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio &c.* De Luthero teſtatur disertè Bellarminus,

[b] Ibidem. [b] quod *in articulis Smalchaldicis anno M. D. XXXVII. editis, in cap de Pœnitentia* DVAS PARTES POENITENTIÆ ESSE *docet, Legem & Evangelium, ſive quod eſt idem, ut ipſe ibidem explicat, Contritionem ex minis Legis, &* FIDEM EX EVANGELII PROMISSIS CONCEPTAM.

Canon quintus Tridentini ſic habet: *ſi quis dixerit eam Contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, quâ quis recogitat annos ſuos in amaritu-*

amaritudine animæ suæ [a] *ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amißionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum cum proposito melioris vitæ, non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem &c. anathema sit.* a Isa. 38 v. 15.

Audiatur Lutherus articulo 6. *Contritio, quæ paratur per discußionem, collectionem, & detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ* [b] *ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amißionem æternæ beatitudinis, & acquisitionem æternæ damnationis: hæc Contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem.* Quis non palpet ipsissima Lutheri verba à tridentino perstringi? quis non notat eandem verborum seriem, ordinem, & capitis 38. Isaiæ allegationem? b ibidem

Canon sextus tridentini sic habet: *si quis negaverit Confeßionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit modum secretè confitendi soli sacerdoti, &c alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum; anathema sit.*

Quid denuò Lutherus? articulo à parisiensi facultate theologica damnato apud Eckium [c] tradit, quod *Confeßio illa, quæ nunc agitur occultè in aurem nullo potest* IVRE DIVINO PROBARI. Et apud Gretserum [d] admonitione ad francofordienses, largitur *Confeßionis libertatem, quod quivis confitetur pro arbitrio, vel non.* Et apud eumdem c l. 1. de Pœnit. cap. 11. Pag. 166 d Qu. 26. Pag. 149

a q. 3. pag 321. [a] tom. 1. Lat. Witeb. hom. de Confessione: *auricularem Confessionem, quæ fit coram* SACERDOTE *Papa* MANDAVIT: *eam Deus non præcepit, verùm Papa ad eam coegit homines.* Et in libro de ratione confitendi,[b] suspicatur Confessionem peccatorum cordis occultorum, *esse* INVENTUM, *vel avarorum, aut curiosorum &c.*

b apud Eckium l. 3. de pœnit c. 10. pag 383.

Canon septimus tridentini sic habet: *si quis dixerit in sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia, & singula mortalia &c. anathema sit.*

Lutherus contrà articulo 8. *nullo modo præsumas* CONFITERI *venialia peccata, sed nec* OMNIA MORTALIA *&c.* Et in colloq. german. tit. de confessione auriculari: [c] *in Confessione* NECESSARIUM *non est, ut* OMNIA PECCATA *enumerentur, sed quilibet, quidquid lubet, dicere potest: nemo à nobis lapidatur.*

c apud Gretf. q. 8. pag. 127.

Tridentinum eodem canone damnat eum, qui dixerit *non esse necessarium jure divino, confiteri peccata occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta.* Quid verò Lutherus? tractatu de ratione confitendi, [d] *ipsa*, inquit, *Dei præcepta breviter sunt inspicienda, in quibus sine dubio omnia peccata continentur, si rectè intelligantur. Nec tamen hæc omnia, sed* ULTIMA DUO *prorsùs à Confessione sunt excludenda.* Unde Eckius [e] refert hunc articulum Lutheri à theologica parisiensi facultate damnatum: *peccata* CONTRA DUO ULTIMA PRÆCEPTA DECALOGI COMMISSA, *sunt prorsùs à Confessione secludenda.*

d apud Gretf. q. 17. pag 136.

e l. 2. de Pœnit. cap. 11. pag. 166.

Tri-

Tridentinum ibidem damnat eum, qui dixerit non esse necessarium confiteri *circumstantias, quæ peccati speciem mutant*, & capite 5. damnat eum, qui dixerit *unam tantùm circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem*. Velut Echo respondet Lutherus de captivitate Babilonica: [a] *ego, quidquid est circumstantiarum, consuluerim penitùs contemnere: apud christianos* UNA EST CIRCUMSTANTIA, QUÆ EST PECCASSE IN FRATREM.

a apud Goetf. q. 11. pag. 131.

Tridentinum eodem canone damnat eum, *qui dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum*. Lutherus illud ipsum expressissimis verbis asserit articulo 9. in quo confidenter dicit: *dum volumus omnia purè confiteri, nihil aliud facimus, quàm quod* MISERICORDIÆ DEI NIHIL VOLUMUS RELINQUERE IGNOSCENDUM. Quis hîc non observet anathema tridentini, hæc ipsissima Lutheri verba ferire?

Denique eodem canone damnatur, qui dixerit, *non licere confiteri peccata venialia*, & capite 5. qui negaverit, quod *venialia citra omnem præsumptionem in Confessione dicantur*. Lutherus autem articulo 8. *nullo modo* PRÆSUMAS *confiteri venialia.*

Canon octavus tridentini sic habet: *si quis dixerit Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, anathema sit.*

Lutherus articulo 8. *nullo modo præsumas confiteri omnia mortalia* (prout facit Ecclesia) *quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas.*

Item damnat tridentinum eum, qui *dixerit ad Confessionem non teneri omnes & singulos utriusque sexus fideles juxta magni Concilij Lateranensis constitutionem semel in anno &c.* Lutherus autem, de ratione confitendi docet, a *doctrinam illam, quæ vulgatur in Ecclesia ex Decretis, quod semel in anno, omnium suorum peccatorum (sicut sonant verba) debeat facere confessionem omnis christianus, aut esse diabolicam, & homicidissimam, aut egentem multo & laxo temperamento.*

a apud Græs. quæst. 16 Pag. 131.

Tridentinum ibidem damnat eum, qui *dixerit suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore quadragesimæ,* idque ob Pontificis in Concilio Lateranensi constitutionem. Lutherus autem in libro de confessione ad Franciscum de Sicking b ***fidele***, inquit, ***consilium meum est, ut homo Christianus tempore quadragesimæ, & paschatis non confiteatur, nec ad sacramentum accedat. Et cogitet ità: ecce quando hoc præcepit homo, Papa scilicet, OB ID IPSUM non faciam, & si non præcepisset vellem facere, faciam autem alio tempore, quo non præcepit.***

b apud Cochlæum in septicipite Luthero cap. 30.

Canon nonus tridentini sic habet: *si quis dixerit Absolutionem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata, modò tantùm credat se esse absolutum, aut sacerdos non seriò, sed joco absolvat, anathema sit.*

Postrema hæc verba, quibus priora explicantur, sunt ipsissima Lutheri articulo 12. SI SACERDOS NON SERIO,

SED

SED IOCO ABSOLVERIT, SI TAMEN CREDAT SESE ESSE ABSOLUTUM, *verissimè est absolutus.*

Canon decimus tridentini sic habet, *si quis dixerit sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, & solvendi non habere, anathema sit.*

Quid verò Lutherus? docet ille teste Eckio [a] *quod peccator non habeat claves Ecclesiæ, nec absolvat. Quid, inquit, hîc fiet? antequàm Christus commisit Apostolis* POTESTATEM SOLVENDI, ET LIGANDI PECCATA, *insufflavit in eos, & dixit: accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittentur eis. Hîc est conclusum neminem posse remittere peccata nisi habeat Spiritum sanctum: quia verba sunt aperta: non cedunt.* a l. 4 de Pœnit. cap. 10. p. 199.

Tridentinum ibidem anathematizat, *si quis dixerit non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus & singulis Christi fidelibus esse dictum:* [b] *quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcumque solveritis super terram &c.* Lutherus hoc docet articulo 13. in cujus assertione [c] intrepidè affirmat: *quod autem absente sacerdote, etiam puer, aut mulier, & quilibet christianus absolvere potest, Matthæi 18. clarè patet, ubi Christus* OMNIBUS *christianis dicit:* QUODCUMQUE SOLVERITIS SUPER TERRAM SOLUTUM ERIT IN COELIS. *Hanc invictam authoritatem non mihi subvertent.* b Matth. 16. v. 19. c apud Roff. Pag. 138.

Tridentinum ibidem redarguit eos, qui dicunt, quod *quilibet absolvere possit peccata publica per correptionem dumtaxat: secreta verò per spontaneam confessionem.* Luthe-

a apud Grets. quæst. 28 pag. 148. Lutherus libro de captivitate babylonica,[a] *non dubito,* inquit, *eum esse à peccatis suis absolutum, quisquis sive* SPONTE CONFESSVS, *sive* CORREPTVS *veniam petierit, & emendaverit coram quovis privatim fratre, quia Christus manifestè dedit* ABSOLVERE CVILIBET *suo fideli.*

Canon undecimus trid. sic habet, *si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideò casuum reservationem non prohibere, quò minùs sacerdos à reservatis verè absolvat, anathema sit.*

b apud Roff. pag. 135. Lutherus ex adverso cùm articulo 13 docuisset, quod in Sacramento pœnitentiæ non plus facit Papa, aut Episcopus, quàm mulier, sibi objicit,[b] *at casus reservati hic Papæ plus tribuunt?* & respondet: *at illi hominum statutis inventi, non evangelico mandato positi sunt. Nec ad remissionem culpæ, sed ad remissionem pœnæ tantùm valent. Pœnitens enim, ac credens justus est, licet nondum satisfecerit reservatori casuum, hoc est tyranno violento conscientiarum, qui* RESERVANDI NULLUM JUS UNQUAM HABUIT.

Canon duodecimus trid. sic habet: *si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, anathema sit.*

c l. 3. de Pœnit. cap. 1. pag. 175. d pag. 163 Ludder, inquit Eckius,[c] *in contrarium currens subtrahit satisfactionem pœnitentiæ, quia* DEUS REMITTENDO CULPAM REMITTAT OMNEM POENAM. Et Roffensis ad articulum 17. [d] *Lector admonendus est, quod inter nostram, & Lutheri sententiam nihil intersit, nisi, quod Lutherus* POENAM *peccatis prioribus debitam opinatur, unà* CUM CULPA *condonari.*

Triden-

Tridentinum ibidem damnat eum, qui *dixerit satisfactionem pœnitentium non esse aliam, quam fidem quâ apprehendunt Christum pro eis satisfecisse.* Lutheri doctrina est, quod [a] *apud Deum nullâ re egemus, nisi solummodò nudâ fide.* Et in assertione articuli 17. [b] *verba*, inquit, *& opera Christi omnibus sunt salutaria ad vitam quicumque ea* APPREHENDERIT, *nec possunt nisi* FIDE APPREHENDI.

[a] apud Grets. q. 32. pag. 155.
[b] apud Roff. pag. 169.

Canon decimus-tertius tridentini sic habet, *si quis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem minimè Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, & eleëmosynis* &c. *Atque ideò optimam pœnitentiam esse tantùm novam vitam, anathema sit.*

Lutherus contrà, ut ab hoc postremo dicto incipiam, articulo 7. *verissimum est*, inquit, *proverbium omni doctrinâ de contritionibus huc usque datâ præstantius, quo dicitur* OPTIMA POENITENTIA NOVA VITA.

Quòd attinet autem ad priorem partem articuli, assertione articuli 5. *vehementer autem*, inquit, *odi & sublatum vellem hoc vocabulum*, SATISFACTIO, *quod non modò in scripturis non invenitur, sed & periculosum habet sensum, quasi Deo quisquam possit pro ullo peccato satisfacere, quum gratis ille ignoscat omnia.*

Unde in libro de captivitate Babyl.[c] *sic instant*, inquit, *& necessariam faciunt* (satisfactionem) *ut fidei in Christum non relinquant locum, miserrimè excarnificatis eo scrupulo con-*

[c] apud Grets. quæst. 32. pag. 156.

scientiis

ſcientijs, alio currente Romam, alio huc, alio illuc, alio in Carthuſiam, illo in alium locum, alio virgis ſe flagellante; alio corpus ſuum vigilijs & IEIUNIIS occidente.

Canon decimus-quartus tridentini ſic habet, *ſi quis dixerit ſatisfactiones, quibus pœnitentes per Chriſtum Ieſum peccata redimunt, non eſſe cultus Dei, ſed traditiones hominum doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipſum beneficium mortis Chriſti obſcurantes, anathema ſit.*

a apud Roff. pag 95. Lutherus non abſimilia habet ad articulum 5. [a] *oſtendant ſi poſſint, ubi in tota ſcriptura, unus apex aut iota ſcribatur, pro peccato mortali debere ſatisfieri ſeptem annis? nonne hæc omnia ſunt poſteà inventa ab Epiſcopis?* Et ad articulum

b ibid. 269. 17. [b] *ſatiſfactiones nihil faciunt ad juſtificationem, ideò inſignis eſt blaſphemia, merita Chriſti in hoc ſordidum opus mortis ponere.*

Canon decimus-quintus tridentini ſic habet: *ſi quis dixerit claves Eccleſiæ eſſe datas tantùm ad ſolvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes dum imponunt pœnas confitentibus agere contra finem clavium, & contra inſtitutionem Chriſti, & fictionem eſſe, quod virtute clavium, ſublatâ pœnâ æternâ, pœnâ temporalis plerumque exſolvenda permaneat, anathema ſit.*

c l. 3. de pœnit. c. 16 pag [illegible] Lutherus apud Eckium: [c] figmentum dicit eſſe *de pluribus* CLAVIBUS *in involutionibus de indulgentijs.* Et infrà: *faceſſant nugæ, unas novimus claves tantùm in terra traditas.* Item *Lutherus*, inquit Roffenſis in poſteriore opuſculo

opuſculo contra captiv. babyl. [a] *contendit nihil prorſus in peccatore relinqui, poſt cujuſlibet ſacerdotis abſolutionem, quod Pontifex deleat.* a c.1. pag. 11. n. 9.

Ex quibus omnibus inter ſe comparatis perſpicuum eſt, tridentinum ſeſſione 14. univerſis canonibus de ſacramento pœnitentiæ, vel dogmata, vel ipſiſſima Lutheri verba perſtrinxiſſe: ac proinde non eſſe dubitandum, quod Lutheri doctrinam ibidem præ oculis habuerit, eamque condemnare voluerit, quamvis Lutheri nomen ſpeciatim non expreſſerit. Reſtat, ut eo conſtituto ex tridentino argumenta depromamus, quibus planum fiat, tridentinum Caramueli non tantùm non patrocinari, verùm etiam adverſari.

§. 2.

Varia ex ſeſſione 14. tridentini capite 5. adverſus Caramuelem argumenta.

III. ARGUMENTUM 1. Tridentinum ſeſſ. 14. capite 5. tradit *inſtitutam eſſe à Domino integram peccatorum* mortalium *confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere*: ſed non erit confeſſio integra, ſed potiùs truncata & mutila, ſi mortalia dubia ſponte & operâ deditâ ſileantur. Ergo.

Confirmatur 1. Tridentinum agens de confeſſione ſacramentali perſtringit doctrinam Lutheri, ut habetur

 ex dictis

ex dictis §.præcedente: Lutherus autem sic negabat confessionem mortalium debere esse integram, ut ab obligatione confitendi eximeret mortalia dubia, prout ostensum est toto capite primo. Ergo tridentinum è contrà, sic voluit confessionem mortalium debere esse integram, ut statueret obligationem confitendi mortalia dubia.

Confirmatur 2. Integritas confessionis de qua agit tridentinum, est illa, quam theologi vocant formalem, quandò scilicet confessio mortalium tam integrè fit, quàm *pro temporis & circumstantiarum opportunitate fieri* a pag. 321 *potest*, prout exponit Franciscus Suarez disput. 23. sec. 1.ᵃ

Unde Catholici hæreticis importunè oggannientibus, quod integritas confessionis mortalium sit impossibilis, assiduè respondent, non requiri à catholicis integritatem confessionis mortalium, nisi quantum fieri potest, seu pro nostræ possibilitatis modo. *Catholici omnes*, inquit Bellarminus respondens Calvino objicienti enumerationem peccatorum esse impossibilem, [b] *id solùm jubent, ut peccata omnia* QUANTUM IN NOBIS EST (*quâ phrasi Calvinus utitur in explicanda confessione, quæ Deo fit*) *enumeremus, dum coram sacerdote conscientiam nostram aperimus.* Et Albertus Pighius [c] *nec est verùm*, inquit, *quod calumniantur hæretici, nostrâ doctrinâ injici conscientijs laqueos, quâ integram peccatorum confessionem exigimus: nam integritatem illam non intelligimus absolutè, & simpliciter, sed pro nostra*

b l. 3. cap. 16. pag. 1406.

b contro. 8.

POSSI-

POSSIBILITATIS MODO. Item, Ioannes à Daventria ad articulum 12. conf. Aug. a *Necessaria est peccatorum integra confessio (integram vocamus eam, quæ post justam examinationem integrè fit* PRO POSSIBILITATE *confitentis.* Jam verò, qui silet in confessione mortalia dubia non confitetur tam integrè, quàm *pro temporis & circumstantiarum opportunitate fieri potest*, neque per talem confessionem omnia mortalia confitemur *quantum in nobis est*, seu *pro nostræ possibilitatis modo*, aut *pro possibilitate confitentis*. Ergo talis confessio non est integra ex mente tridentini, & catholicorum.

a in Harm. confess. August. pag. 144.

IV. Quare non est eadem ratio de mortalibus dubijs, & de occultis, sive quæ memoriâ exciderunt: hæc enim non pertinent ad integritatem confessionis, à tridentino requisitam, quia quantùm in nobis est, & pro nostræ possibilitatis modo, fieri non potest, ut confiteamur, quæ memoriâ exciderint: secùs autem sese res habet in mortalibus dubijs, quæ possumus, quantum in nobis est, & pro nostræ possibilitatis modo confiteri: unde non est, quod ad necessariam confessionis integritatem non pertinere dicantur.

V. ARGUMENTUM 2 præcedenti affine. Tridentinum ibidem subjungit, quod *Dominus noster Iesus Christus è terris ascensurus ad cœlos sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam præsides, & Iudices, ad quos* OMNIA MORTALIA *deferantur, in quæ Christi fideles ciderint.* In quibus verbis

expendi debet illa universalis locutio: *omnia mortalia deferantur*: cùm enim tridentinum non restringat, neque nos debemus locutionem universalem restringere. Siquidem generaliter verum est, quod vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, prout communiter docent cùm glossa in cap. *solitæ 6.* ✠ *de major. & obed.* Unde locum habet hîc, quod perperam in sententiæ suæ patrocinium adfert Caramuel: [a] *nemini privato* (ergo nec Caramueli) *concessum, ut universales positiones dictatas, & revelatas à Spiritu sancto restringat: illæ enim, quæ hodie restringuntur, summo totius Ecclesiæ consensu, & consilio restringuntur, & hoc propter rationes fortissimas, quæ in præsenti locum non habent. Si enim quæcumque ratiuncula* (ut est Caramuelis) *sufficeret, ut universaliter latas leges remitteret, & ad aliquos singulares casus reduceret, periclitaretur decalogus, abblandireris enim tibi, & millenas exceptiones & limitationes faceres.* Quamobrem cùm universalis hęc positio tridentini dictata, & revelata à Spiritu sancto, *omnia mortalia deferantur ad sacerdotes*: non restringatur *summo totius Ecclesiæ consensu, & consilio* ad mortalia certa, & indubitata, non debet à Caramuele restringi, alioqui periclitaretur decalogus, abblandireris enim tibi & millenas exceptiones & limitationes faceres.

[a] pag. 677.

Confirmatur 1. Exceptio illa, & limitatio, quod non sit præceptum confitendi omnia mortalia, nisi de quibus sumus çerti, & nullo modo dubitamus, Lutheri commentum

mentum est, ut ostensum est capite 1. Ergo non est verisimile, quod à tridentino approbetur: imò potiùs credendum est universalem illam locutionem, *omnia mortalia deferantur*: eo sensu affirmari à tridentino, quo negabatur à Luthero, quem in materia de sacramento pœnitentiæ perstringit tridentinum, uti probatum est paragrapho præcedente, quique articulo 8. docuerat non omnia mortalia in confessione declaranda.

Confirmatur 2. *Qui dicit omnia nihil excipit* 19. dist. c. *Si Romanorum*, & glossa in c. *solitæ* 6. ⁊ *de major & obed.* Ergo quandò tridentinum dicit omnia mortalia deferantur, nihil excipit. Quemadmodum itaque Pontifex canone citato ità argumentatur ex verbis D. Leonis: *dicendo verò [omnia decretalia constituta] nullum de decretalibus constitutis prætermisit, quod non mandaverit esse custodiendum. Et rursus asserendo [omnium decessorum nostrorum] nullum Pontificum romanorum, qui ante se fuerunt, excepit*: ità & nos possumus argumentari: dicendo [omnia mortalia deferantur] nullum de mortalibus prætermisit, quod non mandaverit ad sacerdotes esse deferendum, nullumque mortalium excepit.

Cujus doctrinæ hæc ratio est, quod juxta receptam Jurisconsultorum doctrinam [a] *verba generalia debent generaliter intelligi, neque possint restringi nisi sequeretur absurdum, vel inhumanitas*, nullum autem sequitur absurdum, vel inhumanitas si verba illa tridentini

[a] apud Everh. loc. 23. num. 7. p. 248.

generaliter dicta: *omnia mortalia* generaliter intelligantur. Ergo non possunt restringi.

VI. Argumentum 3. Decernit ibidem tridentinum, *oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem* CONSCIENTIAM *habent, in confessione recenseri*: jam verò pœnitens de peccatis dubijs habet conscientiam, non quidem certam, & evidentem, sed dubiam, & fluctuantem, prout diffusè explicabitur infrà, dum argumentis Caramuelis respondebimus. Ergo debent in confessione recenseri.

VII. Argumentum 4. vulgare, sed efficax. Tridentinum ibidem sola venialia cognita eximit ab obligatione confessionis: *nam*, inquit, *venialia, quibus à gratia Dei non excludimur* &c. *taceri citra culpam, alijsq; remedijs expiari possunt.* Ergo mortalia dubia quibus à gratia Dei excludimur taceri citra culpam, alijsque remedijs expiari non possunt. Hoc enim evincit antithesis cum præcedentibus, quàm designat particula causalis *nam.*

Confirmatur 1. Lutheri dogma fuit articulo octavo quod non tantùm venialia, sed etiam mortalia dubia in confessione taceri possint, ut sæpe dictum est. Ergo tridentinum sic debet intelligi, ut oppositam Lutheri doctrinam improbet.

Confirmatur 2. Tridentinum ab obligatione confessionis eximit venialia, quia venialibus *à gratia Dei non excludimur.* Quare cùm ista causa non obtineat in mortalibus dubijs, secùs sentiendum erit.

7. Ar-

VIII. ARGUMENTUM 5. *Necessum est*, juxta tridentinum ibidem, OMNIUM mortalium *veniam, cum* APERTA *& verecunda confessione, à Deo quærere*. Non quærit autem omnium veniam cum aperta confessione, qui confessarium sponte celat mortalia dubia: sicut nemo dixerit infirmum seriò quærere sanitatem à medico, qui medicum celat mortalia, de quibus dubitat, vulnera. *Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat*, ut rectè tridentinum subjungit ex Hieronymo: ac proinde frustrà sanitatem quærit à medico, qui vulnus dubium medico non detegit. Et verò, quid hoc est aliud, quàm quod ibidem improbat tridentinum *scienter* vulnus mortale *retinere*? [a] in c. 10 Eccles.

IX. ARGUMENTUM 6. Cùm tridentinum tradidisset ibidem *nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut quisque ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit*: subjungit hanc exceptionem: *reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, eâdem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicitur*: [b] *ab* OCCULTIS *meis munda me Domine*. Solùm ergo à præcepto confessionis excipiuntur peccata occulta: sed mortalia dubia non sunt occulta, neque de illis intelligitur illud Prophetæ: *ab occultis meis munda me domine*, occulta enim sunt illa, quę nos latent & ignoramus, hinc Augustinus verba prophetæ sic interpretatur: *à cupiditatibus in me* LATENTIBUS *munda me domine*. Ergo [b] Ps. 18 v. 13.

Con-

Confirmatur 1. Peccata occulta de quibus agit Propheta, sunt illa de quibus in eodem versu præmittit: *delicta quis intelligit?* quod mortalibus dubijs nullatenùs convenit.

Confirmatur 2. quia tridentinum excludit sola illa peccata, *quæ diligenter cogitanti non occurrunt*: peccata autem dubia diligenter cogitanti occurrunt, nisi enim cogitanti occurrerent pœnitens de illis non dubitaret.

Confirmatur 3. quia ut patebit consideranti textum, tridentinum agit de illis peccatis occultis ratione quorum hæretici confessionem impossibilem esse dicebant, & carnificinam conscientiarum appellabant: quod de mortalibus dubijs nullo pacto potest intelligi, utpote quorum confessio neque est impossibilis, neque carnificina conscientiarum. Et sanè si quis attentè legerit textum tridentini, facilè observabit sola illa mortalia eximi ab obligatione confessionis, quæ impossibile est confiteri: mox enim apparebit hic sensus: *impium est confessionem impossibilem dicere, aut carnificinam conscientiarum, quia nihil aliud exigitur ab Ecclesia quàm ut quisque confiteatur mortalia, quæ potest confiteri, reliqua autem peccata, quæ non occurrunt, neque potest quis confiteri, in universum eâdem confessione inclusa esse intelliguntur &c.* Quapropter cùm non sit impossibile mortalia dubia confiteri, neque ex eorum necessaria confessione sequatur carnificina conscientiarum, quisque tenebitur illa confiteri.

§. 3. *Aliud*

§. 3.

Aliud Argumentum, ex eo, quod juxta tridentinum sess. 6. cap. 14. mortale non remittatur nisi per confessionem, saltem IN VOTO, ET SUO TEMPORE FACIENDAM, *non sit autem confessio in voto & suo tempore facienda, dum quis mortale dubium, licet possit, non vult confiteri.*

X. VT major vis insit argumento, quod præsenti paragrapho urgere meditor, observandum plurima esse mortalia dubia, de quibus nulla unquam humanitùs habenda est certitudo fuerintne mortalia, nec ne. Tales sunt innumeræ delectationes morosæ, & cogitationes internæ, quæ nullum certum suî vestigium relinquunt, unde certò statuere possit animus, an fuerint mortales, nec ne. Hoc posito

XI. Novum, idque efficax argumentum nobis suppeditant hæc verba tridentini sess. 6. cap. 14. *docendum christiani hominis pœnitentiâ contineri non modò cessationem a peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum, & humiliatum, verùm etiam eorumdem sacramentalem confessionem, saltem* IN VOTO, & SVO TEMPORE *faciendam.* Agit autem tridentinum de ijs, *qui ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt,* [a] ac proinde de peccatis mortalibus, ad quorum relaxationem certum est post lapsum desiderari christiani hominis pœnitentiam ex eodem tri- dentino

[a] ibid. initio capitis

dentino sess. 14. cap. 2. & ex hoc ipso citato capite, in quo vocatur *secunda post naufragium deperditæ gratiæ tabula.*

Ex quibus lubet ita argumentari: ad mortalis peccati remissionem requiritur christiani hominis pœnitentia, quâ continetur ejusdem peccati *sacramentalis confessio saltem in voto & suo tempore facienda*: at ille, qui non confitetur mortalia dubia non adhibet eorumdem *sacramentalem confessionem* nequidem *in voto & suo tempore faciendam*, maximè si sint mortalia de quibus numero præcedente. Ergo qui mortalia dubia in confessione reticet, sicut non habet christiani hominis pœnitentiam, ita nec ejusdem pœnitentię effectum remissionem peccatorum.

Tota hæc argumentatio videtur evidens: prima propositio tridentini est, omniumque, qui de hac re tractarunt theologorum: altera propositio perceptâ terminorum notione apparet naturæ lumine evidens: quis enim habet serium votum suo tempore illud faciendi, quod totius vitæ tempore, quamvis possit, nunquam vult facere? Superest itaque ut & ipsum consequens certum & indubitatum sit.

XII. Verùm ne quis lucem in ipso meridie desideret, pluribus ostendo eum non habere votum suo tempore confitendi mortalia dubia, qui cùm possit commodè, deditâ operâ nunquam vult confiteri.

Primò. Nemo dixerit eum habere serium votum suo tempore confitendi venialia, qui cùm possit illa commodè

modè confiteri, nihilominùs pertinaciter recusat: quorsum igitur aliud de mortalibus dubijs statuemus?

Secundò. Non habet serium votum suscipiendi suo tempore baptismum, qui, cùm possit commodè, renuit totius vitæ decursu baptizari, aliàs certè dicendum esset quod plurimi etiam pertinacissimi infideles habeant serium votum baptismi, quia baptismum susciperent, si certò, & evidenter ad salutem necessarium esse scirent: ergo idem dicendum in re præsenti.

Tertiò. Paradoxum apparet, dicere, quod æger habeat serium votum sumendi medicinam, quam à medico oblatam, cùm posset commodissimè, refugit accipere: quin igitur idipsum sentimus de spirituali medicina confessionis?

XIII. Efficacem autem rationem traditæ à nobis doctrinæ paucis complectitur P. Præpositus, qui licet in ea, quam tractamus disquisitionis resolutione dubius videatur [a]: alibi tamen disertè docet, quod *non possit aliquis dici habere votum ejus, quod non vult adhibere, cùm potest.* [b] Et infrà *continere in voto*, inquit, *est continere per modum desiderij*. Loquendo autem de subjecta materia non est dicendus habere votum, seu desiderium confitendi mortalia dubia, qui *non vult illorum* sacramentalem confessionem *adhibere, cùm potest*. Aliàs meritò quis audierit: *probatio voti, seu desiderij, exhibitio est operis*.

[a] q. 5. de conf dub 3. n. 119.
[b] q. 73. a. 3. nu. 12.

XIV. Declarantur prædicta. Si nulla sit obligatio

confitendi mortalia dubia, poterit quis statuere, & proponere peccata illa non confiteri, quandoquidem non obligetur confiteri: quo posito, clarum est, quod talis, cõtrà, quàm doceat tridentinum suprà citatum, non habeat *mortalium dubiorum sacramentalem confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam*, quandoquidem propositum explicitum non confitendi mortalia dubia *citra ignorantiam; & impotentiam absolutam, excludat omne votum tam explicitum, quam implicitum* eadem confitendi, quod in simili *per se videtur notum* Patri Tannero.[a]

[a] disp. 5. de Euch. dub. 4. n. 94. pag. 1005.

Quemadmodum ergo juxta Tannerum, aliosque recentiores, Eucharistia non est in voto necessaria adultis, quia potest haberi expressum propositum non suscipiendi Eucharistiam: ità sequeretur contra tridentinum, quod si non esset obligatio mortalia dubia confitendi; eorum sacramentalis confessio, nequidem in voto necessaria foret, eò quòd haberi posset propositum explicitum ea non confitendi: quod repugnat tridentino.

XV. Aliter, & doctrinæ suæ principijs conformiter sensit Lutherus, cum enim, ut supra visum est, doceret mortalia dubia non esse in confessione declaranda, consequenter etiam docebat, quod confessio in voto, non requireretur, prout colligitur ex antithesi propositionum adversus Lutheri doctrinam posita à Tetzellio, ubi inter ceteras refertur hæc à Joanne Cochlæo in vita Lutheri: [b] *nihil nunc juvat, si interior pœna etiam operetur exterio-*

[b] pag. 6.

exteriorem mortificationem, nisi adsit facto, vel voto confessio. Cùm enim Tetzellius teste cochlæo *contrariam Lutheri explicaret sententiam*, assertione suâ innuit, contrariam fuisse de hac re Lutheri sententiam.

XVI. Ex dictis apparet falsum esse, quod docet Caramuel,[a] scilicet, quòd *jam pro peccatis dubijs duo sunt remedia, nempe contritio, & confessio, unde alterutrum* PRO LIBITU *adsumi potest*: quandoquidem contritio non justificet nisi vice confessionis, & quatenus includit subsidiarium votum, & desiderium confessionis suo tempore faciendæ. [a] p. 113.

Unde tridentinum sess. 14. cap. 4. negat reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto esse adscribendam. Et sess. 6. cap. 14. præter cor contritum, requirit insuper sacramentalem confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam.

§. 4.

Argumentum præcedenti simile, ex eo quod mortale dubium in confessione non explicatum, non remittatur indirectè per aliorum confessionem, neque per contritionem.

XVII. ARgumentum hoc præcedenti affine est, & in hunc modum formari potest.

Mortale dubium, quod quis confiteri renuit, vel remittitur directè, vel indirectè: non remittitur directè,

 quia

quia in confeſſione non explicatur: ſed neque indirectè, quia juxta tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. indirectè, & *eâdem confeſſione incluſa intelliguntur reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus, ab occultis meis munda me Domine.* [a]

a Pſ. 18. verſ. 13.

Porrò mortalia dubia non ſunt talia: ut enim dictum eſt, occurrunt diligenter cogitanti, neque ſunt occulta, neque pro illis dicimus: *ab occultis meis munda me Domine.*

Accedit, quod poſſit contingere juxta Caramuelem, quod quis habeat ſola mortalia dubia, vel ſaltem ſola mortalia dubia cum venialibus: [b] *nemo* autem, inquit idẽ, *tenetur peccato dubio certum veniale adjungere, quia venialia non pertinent ad materiam neceſſariam confeſſionis, ſed ad liberam: nec tenetur adjungere mortale jam confeſſum, quia nemo tenetur unum, & idem peccatum benè confeſſum iterum confiteri.* Ergo ſaltem iſto caſu erit obligatio confitendi mortalia dubia.

b p. 679.

XVIII. Quod ſi dixeris mortalia hujuſmodi per contritionem remittenda.

Opponitur ſtatim tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. definire, quod *etſi contritionem aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare priuſquam ſacramentum* pœnitentiæ *actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine* SACRAMENTI VOTO, *quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Contritio ergo non reconciliat hominem Deo ſine ſacramenti pœnitentiæ

voto,

voto, quod in præſenti nullum eſt, pœnitens enim non vult confiteri venialia, neque mortalia, quæ aliàs confeſſus eſt, ut ſupponitur: ſed neque habet votum confitendi mortalia dubia juxta dicta paragrapho præcedente, cùm poſſit commodè, & non velit illa in confeſſione exprimere. Conſequens igitur eſt, quod non remittantur indirectè per contritionem.

Deinde tridentinum ſub initium ejuſdem capitis, dicit, quod contritionis motus *in homine lapſo, ita demùm præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & VOTO præſtandi reliqua conjunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum ſacramentum* pœnitentiæ *requiruntur.* Qui autem non vult confiteri mortalia dubia, ſed neque venialia, aut mortalia, quæ aliàs confeſſus eſt, non habet dolorem, qui *voto præſtandi reliqua conjunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum ſacramentum* pœnitentiæ *requiruntur:* quandoquidem non velit ipſum ſacramentum pœnitentiæ ſuſcipere. Ergo, qui ſic animo conſtitutus eſt, non eſt præparatus ad remiſſionem peccatorum.

Denique tridentinum ſeſſ. 6. cap. 14. ad chriſtiani hominis pœnitentiam præter contritionem inſuper requirit confeſſionem ſaltem in voto & ſuo tempore faciendam. Ergo mortalia dubia non remittuntur niſi cum onere & obligatione eadem ſuo tempore confitendi, verumque eſt illud P. Coninck diſp. 5. dub. 1. *nunquam contrito remittitur peccatum ſine reali confeſſione, aut illius voto & directa ad eam obligatione.* [illegible] pag. [illegible]

§. 5. Præ-

§. 5.

Præoccupatur quædam responsio, & multis ostenditur, quod sterilis illa animi præparatio, quâ quis animo sic affectus est, ut confiteretur mortalia dubia, si certò constaret à se commissa, maximè ubi nunquam constare poterit, nullâ ratione possit dici votum confessionis.

XIX. NOn apparet, quid prædictis sub specie verisimilitudinis responderi possit, nisi fortè, quod ille habeat votum confitendi mortalia dubia, qui animo sic affectus est, ut confiteretur, si certò sibi constaret peccata, de quibus dubitat, à se commissa. Fortassis enim erit, qui per votum confessionis à tridentino requisitum, intelligat hujusmodi præparationem animi.

Verùm inane est, quod ab hujusmodi responsione petitur effugium. Dicant enim quidquid lubet, nemini cordato persuadere poterunt in tridentino per votum sacramenti, vel confessionis intelligi sterilem illam animi præparationem, quâ quis animo sic constitutus est, ut confiteretur peccata, si certò sciret à se commissa, maximè quandò conditio illa est impossibilis, juxta ea quæ dicta sunt n. 10. Quod varijs argumentis ostendi potest.

XX. Primò. Insolita prorsus & inaudita est loquendi ratio, ut sterilis illa animi præparatio ad effectum nunquam perventura, votum nuncupetur, neque facilè hujus locutionis proferetur exemplum.

Secun-

Secundò. Qui ſic animo conſtitutus eſt, ut confiteretur, ſi certò ſciret ſe dubia mortalia commiſiſſe, non aliter habet votum confeſſionis, quàm plerique hæretici habeant votum ſacramentalis confeſſionis, quorum plurimi ſic affecti ſunt, ut ſacramentaliter confiterentur, ſi ad ſalutem hoc ſibi neceſſarium eſſe certò cognoſcerent. Imò illud interjacet diſcriminis, quod in hæreticis conditio ſit poſſibilis, in dubitante de mortali à ſe commiſſo, plerumque ſit impoſſibilis.

Tertiò. Oporteret agnoſcere innumera vota hactenus inaudita, & incognita. Dicendum foret, quod novitius ferventiſſimus habeat votum nubendi, qui ſic animo conſtitutus eſt, ut nuberet, ſi ſciret hoc ſibi ad ſalutem neceſſarium, quamvis aliunde ſciret non eſſe neceſſarium. Item, quod omnes conjugati haberent votum ingrediendi monaſterium, qui animo ſic affecti eſſent, ut ingrederentur ſi ſcirent, hoc ſibi ad ſalutem neceſſarium. Item, quod omnis hæreticus habeat votum veniendi ad gremium eccleſiæ romanæ, qui animo ſic conſtitutus eſt, ut ad gremium eccleſiæ romanæ veniret, ſi hoc ad ſalutem neceſſarium eſſe ſibi conſtaret. Item, quod omnes catholici haberent votum profitendi fidem calviniſticam, aliorumve hæreticorum, qui ſic forent animo conſtituti, ut fidem illam profiterentur, ſi certò ſcirent ſibi ad ſalutem eſſe neceſſariam.

Neque dicas catholicos ſcire conditionem eſſe impoſſibi-

possibilem, eodem enim modo plerumque nosti impossibile esse, ut certò tibi constet mortalia dubia à te esse commissa, prout dictum est suprà num. 10.

XXI. Quartò. Ut daremus certis casibus talem animi præparationem votum nuncupari posse, tamen ubi agitur de medio ad salutem necessario in re vel in voto, prout est sacramentalis confessio lapsis post baptismum in peccatum mortale, ampliùs aliquid requiri, quam sterilem de qua agimus animi preparationem, dubitari non potest. Quis enim dixerit, quod omnis ille paganus habeat serium votum baptismi, qui sic animo constitutus est, ut susciperet baptismum, si sciret ad salutem sibi necessarium? Item, quis fateatur quod ijdem infideles habeant serium votum credendi mysteria fidei nostræ ad salutem necessaria, qui sic affecti sunt animo, ut ea crederent, si fidem illam ad salutem esse necessariam evidenter cognoscerent?

Quod ipsum manifestissimè patet in eo, qui dubitat de valore baptismi: neque enim concilia & sancti Patres tantâ curâ & sollicitudine præciperent, ut baptizaretur, qui de baptismi valore dubitat, prout capite sequenti ostendemus, si sterilis illa & sine effectu semper futura animi ad baptismum præparatio, foret idoneum obtinendæ salutis & vitæ æternæ medium, & remedium.

XXII. Totius autem hujus doctrinæ ratio hæc videtur, quod votum in tridentino non designet solam frigidam

gidam illam complacentiam confessionis, quam *velleitatem* nuncupant, quæque secum patitur nolitionem oppositam; sed desiderium ex parte pœnitentis suo tempore futurum efficax, & omnibus attentis seriam voluntatem & propositum confitendi.

Ità tridentinum interpretabatur Guilielmus Mercerus S. Th. Doctor Lovaniensis, dum ita scribebat in 3. part: [a] *justificatio per contritionem non fit sine ordine ad hoc judicium, ideoque non planè sine absolutione sacerdotis, cum fiat per votum sacramenti inclusum in contritione; quod* VOTUM CUM SIT EFFICAX, *relinquit hominem huic judicio obnoxium, non obstante liberatione à culpa* &c. a suppl. q. 6. a. 1. p. 359.

Quin & ipse Calvinus apud Ruardū Tapperum, [b] sic intellexit doctrinam catholicorum, quos inter cetera insimulat, quod statuant peccatum *non dimitti, nisi confitendi votum* FIRMITER *conceptum fuerit: quod votum nisi* OBLATA FACULTATE *solutum fuerit iam nulli patere paradisi ingressum....* & infrà: [c] *quod autem peccatum dimitti negant nisi sub conditione, si votum confitendi* FIRMITER *conceptum fuerit, nullo modo ferendum est.* Et iterum: [d] *Iam verò quòd affirmant non dimitti peccata nisi voto confitendi* FIRMITER *concepto, & clausam esse paradisi portam ei, qui* FACULTATEM *confitendi sibi* OBLATAM *neglexerit, absit ut istud eis concedamus.* b ad a. 3. p. 220. c p. 221 d p. 225.

Quid ad hæc porrò Ruardus? an Calvinum catholicis imponere? nequaquam: quin potiùs hanc esse catho-

licorum doctrinam ultrò fatetur, eamque testimonijs Augustini, Leonis, imò scripturæ firmare nititur.

His stabilitis, satis, ut opinor elucet cur animi præparatio de qua agitur nequaquam sufficiat, ut quis dicatur habere votum confitendi mortalia dubia: notorium enim est quod talis animi præparatio non sit *votum* ex parte hominis *efficax*, *firmiter conceptum*, quod *oblatâ facultate* persolvatur, cùm ex hypothesi, qui dubitat de mortali crimine perpetrato habeat oblatam sibi facultatem confitendi, & recuset, etiam totius vitæ suæ tempore tali facultate uti.

Imò tantum abest, ut talis animi præparatio sit votum ex parte sua efficax, ut ne vera quidem sit voluntas, seu intentio confitendi, sed tantùm *velleitas* quædam, & complacentia, qualis est in mercatore, qui tempore tempestatis proijcit merces in mare. Quemadmodum enim mercator animo sic constitutus est, ut merces reservaret si certò sibi constaret tempestatem de qua futura dubius & sollicitus est, modico post tempore desituram; ceterum absolutè loquendo vult merces in mare proijcere: ità peccator animo sic constitutus, ut confiteretur, si certò sibi constaret à se admissa, *vellet* quidem illa confiteri, absolutè tamen loquendo non vult confiteri, & omnibus circumstantijs spectatis in eam partem sese determinat, quæ confessionem recusat hîc & nunc, ac propterea non est dicendus habere serium votum confitendi.

CAP. 4.

CAPUT QUARTUM.

Varia argumenta quibus probatur obligatio confitendi mortalia dubia.

§. I.

Ex obligatione suscipiendi baptismum dubium, probatur obligatio confitendi mortalia dubia.

I. *SAcramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum sic est ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.* Tridentinum sess. 14. c. 2. Sed baptismus sic est necessarius, ut si quis de valore baptismi dubitet, baptizari debeat: ergo similiter si quis dubitet de peccato mortali post baptismum commisso debebit suscipere sacramentum pœnitentiæ. Neque enim minor est necessitas delendi actuale mortale dubium, quàm originale.

Huic argumento non deerit fortassis, qui respondeat dubitantem de valore baptismi non esse necessariò baptizandum, quod in dubio talis possideat libertatem. Unde Caramuel confidenter: a *ubique eodem omninò modo philosophamur, quia sicut dicimus non teneri confiteri, qui probabiliter confessus, & absolutus est, sic etiam dicere possemus non teneri baptizari, qui probabiliter baptizatus est.* a p. 696.

Fateor, posset quis hoc dicere, quis neget? sed etiam posset errare: est enim veritas totius antiquitatis testimonio confirmata, quod ubi incertum est, an quis baptismum susceperit, baptismus conferri debeat.

a tom. 1. conc. p. 1. p. 593. II. In carthaginensi quinto cap. 6. sic statuitur: [a] *placuit de infantibus quoties non inveniuntur* CERTISSIMI *testes, qui eos baptizatos esse* SINE DUBITATIONE *testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari. Hinc enim legati Maurorum fratres nostri consuluerunt, quia multos tales à Barbaris redimunt.* Quem canonem verbotenùs renovat concilium wormatiense, c. 7. [b], & Gratianus inseruit suo decreto de consecratione distinctione 4. can. 111. qui canon etiam reperitur 72. in codice canonum ecclesiæ africanæ. [c]

b tom. 3. conc. p. 1. sect. 2. p. 597.

c tom. 1. conc. parte 1. p. 768.

In concilio carthaginensi 3. factæ sunt abbreviationes cujusdam concilij hipponensis, inter quas numero 40. sic habetur: [d] *de his, qui in nullo testimonio se baptizatos noverunt, ut baptizentur.*

d ibidem p. 583.

Cui doctrinæ insistens Leo magnus epistola 37. consultus utrùm *sub hoc recordationis incerto* baptizari debeant qui de captivitate redeuntes, incertum habent utrùm ante captivitatem baptizati fuerint? respondet baptizandos esse: *quis enim*, inquit, *ità sit suspicationibus suis deditus, ut verum esse definiat, quod omni manifestatione cessante, ex opinione* AMBIGVA *suspicatur*? & concludit: *cùm constiterit hunc, qui baptismatus indiget sacramento solâ inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cujus in se nullum scit esse vestigium. Nec vereamur huic*

e col. 350

huic salutis januam aperire, quam nunquam ante docetur ingressus. Ubi observandum S. Leonem non loqui de quacumque suspicione, sed de illa, quæ *ex opinione ambigua ducebat originem.*

Atque ità casum Leonis explicat glossa ad capitulum *cùm itaque*, DE CONSECRATIONE[a], dicens, quod *iste qui de Baptismo suo dubitat, sine formidine poterit baptizari* .... & infrà: *si non poterit de Baptismo suo constare, debet baptizari, nec hoc pro iteratione habetur.* [a] dist. 4. cap. 112.

Similia docet D. Leo epist. decretali 92. cap. 15. quod præ se fert hunc titulum: [b] *de his, de quibus dubium est, utrùm Baptisma perceperint, necesse est, ut renascantur.* [b] col. 474

Gregorius magnus libro 12. epistolarum: [c] *hoc vos rectè tenere debetis, quod nos ab* ANTECESSORIBUS NOSTRIS TRADITUM *accepimus, ut quoties tam de baptismo aliquorum, vel confirmatione, quàm de ecclesiarum consecratione* DUBITATIO *habetur, & nec scripturâ, nec testibus ratio certa habetur, utrùm baptizati, vel confirmati, sive ecclesiæ consecratæ sint; ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque ecclesiæ canonicæ dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur ritè peractum. Hæc nos adminiculante divinâ gratiâ, ità tenere cupimus, vobisque, ut postulatis tenere, & docere* MANDAMUS, *ut ea, quæ à* SANCTIS PATRIBUS *ante nos sunt* STATUTA *non protervè irrumpere, sed fideliter servare optemus.* [c] indict. 7 cap. 31. pag. 250.

Zacha-

a epist. 11 tom. 1. concil. Galliæ. Zacharias Pontifex, Bonifacio interroganti, quid agendum esset de ijs, qui ab hæreticis baptizati fuerant, & dubitabatur an essent in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizati, inquisitâ rei veritate, an essent ab hujusmodi sacerdotibus baptizati, pręcipit eos sine dubio baptizari.

Alexander 3. cap. 2. ※ de baptismo: *de quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur* (aliàs baptizentur) *his verbis: si baptizatus es* &c.

Hugo à sancto Victore tractatu 5. summæ sententiarum cap. 10. ***Si de aliquo dubitetur, utrum baptizatus sit, baptizari debet. Non enim, ut dicunt Sancti, judicatur iteratum, quod nescitur factum.***

b tom. 3. p. 2. pag. 666. Et in concilio Londoniensi anno 1200. [b] *de baptismate, & confirmatione si* DUBITETUR, SACRORUM CANONUM *statuta sequentes, statuimus, ut conferatur, quia non dicitur iteratum, quod non scitur fuisse collatum. Ideóque baptizentur expositi, de quorum baptismo dubitatur; sive inveniantur cum sale, sive sine sale.*

c p. 696. Gratianus distinctione 68. ad can. 2. presbyteri: [c] *de quo dubium est an sit baptizatus, vel non, debet baptizari.* Gratiano consentit Panormitanus in c. 2. de baptismo.

Sed quorsùm pluribus rem hanc persequerer, quandoquidem (unicum Caramuelem si excipias) nemini, quod meminerim, dubium fuerit, eum qui de baptismo dubitat, baptizandum esse?

III. Ve-

III. Venio ad aliam Caramuelis responsionem, *sed adhuc*, inquit, *discrimen valdè notandum sublatet* (inter baptismum, & confessionem,) *quia confessio requiritur ratione præcepti, baptismus ratione medij: unde licet diceremus non sufficere baptismum probabilem, non teneremur statim negare confessionem probabilem sufficere.* Quam tamen responsionem statim deserit, malens de utroque eodem modo philosophari: *sed semper*, inquit, *de utroque eodem modo philosophor.*

Bene habet, quod ultrò ab illa responsione resiliat, poterat enim nullo labore, quàm nulla sit, demonstrari: quod enim dicit baptismum requiri ratione medij, si de reali baptismi susceptione loquatur, falsum est in adultis: si de baptismo in re, vel in voto, idem dicendum est de confessione, prout patet ex tridentino sess. 6. cap. 14.

Deinde non apparet, quid illud discrimen attineat præsens negotium, cum utrobique tam in baptismo dubio, quàm in confessione dubia reperiatur periculum animæ, propter quod sancti Patres docuerunt baptismum esse, cùm dubitatur, conferendum.

Quinimmò si rem totam suis momentis expendamus potior est ratio cur in dubio iteretur confessio, quàm baptismus: siquidem cum dubitabatur de baptismo suscepto, nonnulli, ut patet ex epist. 37. D. Leonis verebantur baptizare, eò quod baptismus citra sacrilegium iterari non possit: unde seposito hujusmodi periculo non dubi-

taſſent, quin tali caſu baptiſmus fuiſſet conferendus: at verò in caſu confeſſionis nullum intervenit tale periculum, poteſt enim citra ſacrilegium confeſſio repeti. Ergo ſi dubius de baptiſmo tenetur baptizari, multò magis dubius de confeſſione tenebitur confiteri.

§. 2.

Aliud argumentum ex praxi Eccleſiæ, & communi ſenſu fidelium.

a ſeſſ. 14. cap. 5. IV. CErtò conſtat ex ſynodo tridentina [a] *inſtitutam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere.*

Certùm eſt inſuper ex eadem ſynodo, integritatem confeſſionis debere eſſe talem, qualem *univerſa eccleſia* b ibidem *ſemper intellexit.* [b] Unde ex eo colligit eadem ſynodus, quod oporteat *à pœnitentibus recenſeri omnia peccata mortalia, etiamſi occultiſſima,* item *circumſtantias, quæ ſpeciem peccati mutant.*

Contendo itaque, quod eodem argumenti genere liquidò conſtet mortalia dubia à pœnitentibus recenſenda eſſe, quia videlicet præceptum de integra peccatorum confeſſione, *univerſa eccleſia ſemper ſic intellexit*, ut mortalia dubia comprehenderentur.

Quod autem univerſa eccleſia ſemper intellexerit inſtitutam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem,

nem, cum onere confitendi mortalia dubia, declarat imprimis notoria illa, quæque hominum memoriam excedit fidelium per universam ecclesiam consuetudo, & praxis confitendi mortalia, de quorum numero dubitant, additis hisce particulis, velut cautionalibus: *plus, vel minùs.* Quid enim necesse est hujusmodi particulas adjungere, si nulla sit mortalia dubia confitendi necessitas? Quemadmodùm ergo tridentinum sess. 13. cap. 7. dicit, quod *ecclesiastica consuetudo declarat, ad sumptionem Eucharistiæ eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat*; ità dicimus, quod eadem ecclesiastica consuetudo declaret, necessarium esse, ut confiteatur qui dubitat de mortali admisso, quantumcumque sibi contritus videatur. Neque facilè ostendetur magis in uno, quàm in altero obligantem fuisse consuetudinem.

V. Quin & ipse Caram. hanc esse praxim & mentem ecclesiæ, vel invitus videtur agnoscere, dum ingenuè fatetur [a] *usum & praxim totius ecclesiæ* confitendi mortalia dubia *ortum habere ex eo, quod omnes hucusque authores ità docuerunt.* Unde enim certiùs dignoscere poterimus praxim & usum totius ecclesiæ, quàm ex eo, quod omnes authores huc usque docuerunt?

[a] pag. 684.

Meritò autem dixit, quod *omnes authores huc usque ità docuerunt*, nam ut prætermittam authores recentiores,

a p. 680. quos citare superfluum judicat Caramuel. a

Quid tempore Lutheri sentirent catholici, docent nos ea quę §. 2. c. 1. ex Roffensi, Eckio, Jacobo Latomo, & cardinali Bellarmino in medium attulimus: cùm enim diceret Lutherus mortalia dubia non esse in confessione recensenda, illi lutheranum illud dogma, non tamquam rem in utramlibet contradictionis partem agitabilem, sed tamquam damnatum errorem, cœcitatem, & insaniam, *pestem animarum*, & *toxicum sacramenti pœnitentiæ*, & *non parvum errorem*, rejecerunt, & detestati fuerunt. Quod signum est doctrinam illam ab ecclesiæ mente, & traditione fuisse alienam. Sicut simili argumento colligebant catholici ab ecclesiæ mente, & traditione alienam esse doctrinam, quæ docebat circumstantias speciem mutantes non esse in confessione exponendas.

VI. Jam verò, quod attinet ad scriptores superioris ætatis, res longioris, & propemodū superflui laboris foret in medium omnes proferre: unicum illud ausim pronuntiare, me, quantùm licuit, accuratissimè eorum sententiam investigasse, & neminem eorum reperisse, qui à nobis dissentiret: neminem, qui hanc difficultatem sibi résolvendam proponeret, & nobiscum non sentiret. Aliquot proponam, ceteros lectori curioso observandos relinquam.

Anno 1511. impressum est parisijs parochiale curatorum Michaëlis Lochmaier S. T. doctoris, & juris pontificij, ac

ficij, ac ecclesiæ patavienſis canonici: ubi cap. 4. author paſtores monet, quibus caſibus ſit neceſſarium venialia confiteri, & ponit duos caſus, & quamvis de ſecundo dubitet, primum hunc tamquam indubitatum adfert a *ratione dubij*, inquit, *dum quis probabiliter de aliquo peccato dubitat, utrum ſit mortale, vel veniale: quia ſi peccator non pœnitet de illo, ſicut de mortali diſcrimini ſe exponit, & ideò debet confiteri.* a p. 17. col. 2.

Joannes de Friburgo ordinis S. Dominici ſcripſit ſummam confeſſorum typis excuſam Anno 1517. in cujus proemio legimus, quod *tanta eſt eius authoritas: teſtis experientia & nota, & occulta: ut pace aliorum dixerim nullibi ejus contenta à quoquam fuiſſe rejecta comperimus. Hanc neoterici fermè omnes citant: hanc doctiſſimus & probatiſſimus pariſienſis Cancellarius Gerſon ſæpius commendando allegat.*

In hàc itaque ſumma lib. 3. tit. 34. quæſt. 79. ità ſcribit prædictus Author, b *cùm autem quis* DUBITAT, *an aliquod peccatum, quod commiſit ſit mortale, vel non*, TENETUR *illud confiteri propter* DUBIUM, *aliàs periculo ſe committit, ſi negligit confiteri: ſicut etiam mortaliter peccat, qui aliquid committit, vel obmittit in quo dubitat eſſe mortale peccatum.* b p. 132. col. 2.

Ex quo teſtimonio duo licet colligere, primum, quod eà fuerit communis doctrina anno 1517. alterum, quod à tempore Joannis de Friburgo, qui ætate ſuppar fuit Sancto Thomæ, uſque ad annum 1517. doctrina de mortalibus dubijs in confeſſione exprimendis *non fuerit à quoquàm rejecta.*

K 3 S. Tho-

S. Thomas qu.6. supplem. art.4. ad 3. *dicendum* quod *quandò aliquis* DUBITAT *de aliquo peccato an sit mortale*, TENETUR *illud confiteri dubitatione manente : quia, qui aliquid committit, vel omittit in quo dubitat esse peccatum mortale, peccat mortaliter discrimini se committens. Et similiter periculo se committit, qui de hoc, quod dubitat esse mortale, negligit confiteri : non tamen debet asserere illud mortale esse, sed dubitativè loqui, & judicium sacerdotis expectare, cujus est discernere inter lepram, & lepram.*

Quandò Angelicum Doctorem produxi, totam, quanta est Thomistarum scholam vobis ob oculos proponite : Petrum, inquam, de Palude, summam Angelicam, summam Silvestri, atque omnium, ut recentiores omittam, fidelem veterum thomistarum turmam, quibus à duce suo deficere religio est.

Divum item Bonaventuram profero cum Angelico seraphicum Doctorem, qui in 4. nos ità docet : [a] in *casu tamen contingit, quod homo* TENEATUR *ea* (venialia) *confiteri, sive propter* DUBIUM, *sive propter ecclesiasticum institutum. Propter dubium, quia dubitat probabiliter utrum sit mortale, vel veniale. Ideò si non pœnitet sicut de mortali, discrimini se exponit, & ideò debet confiteri sicut jacet in conscientia.*

[a] d.17. a. 2. q. 1. 2.

Item P. Joannes Beets carmelita, de quo refertur l. de viris illust. S. Ordinis V. D. Mariæ de monte Carmelo, quod *anno christianæ salutis* 1476. *Deo, naturæque concedens in cœnobio thenensi, ubi Divæ Mariæ chlamide candidâ*

primùm

primùm indutus est, elatus mœrore, publicâ veneratione sepulturam accepit, scripsit piam, & doctam explicationem in decalogum, in qua inter cetera lectorem sic instruit: [a] *quandò dubitat de aliquo utrum sit mortale, vel veniale peccatum, tunc ne exponat se periculo, debet confiteri, & illud arbitrio sacerdotis relinquere.* a p. 61.

VII. Quod spectat Patres illos, qui scholasticam docendi methodum præcesserunt, non est quod ambigamus, quin mortalia dubia sacramentali cõfessione expiaverint, partim, quia teste Morino disciplinæ in administratione sacramenti pœnitentiæ antiquitùs observatę solertissimo indagatore, [b] *sancti Patres nostri mille, & centum annorum spatio in eo tantum laborarunt, ut sacerdotes docerent... in casu dubio, securiorem partem semper esse eligendam*: partim propter ea, quæ dicta sunt de baptismo dubio iterando suprà paragrapho 1. b l. 1. c. 5. num. 10. pag. 1 n

§. 3.

Ex officio confessarij, qui non tantùm judicis, sed etiam medici officio fungitur, obligatio confitendi mortalia dubia stabilitur.

VIII. PRiusquàm hoc arg. proponam, observo, quod confessarius in hoc sacramento non tantùm agat partes judicis, verùm etiam medici. Et quia punctum illud plurimum refert ad præsentis disquisitionis negotium, & ab eo pendet insuper plerorumque argumento-

mentorum oppositorum refutatio, veritatem illam paucis stabilire non erit inutile.

Imprimis itaque, invictissimè id probatur ex tridentino, quod sess. 14. cap. 5. approbat illud D. Hieronymi: *si enim erubescat* ÆGROTVS *vulnus* MEDICO *detegere, quod ignorat*, MEDICINA *non curat*. Ubi disertè confessarium vocat medicum, & pœnitentem ægrotum.

Quod ipsum insinuat florentinum dicens, quod *si per peccatum* ÆGRITUDINEM *incurrimus animæ, per pœnitentiam spiritualiter* SANAMUR. Vox enim *sanamur* ad medici potiùs, quàm Judicis officium videtur referenda.

Clariùs Lateranense statuens, *ut sacerdos sit discretus, & cautus, ut more periti* MEDICI *superfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias, & peccati: quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum.*

Et infrà monet medicos, *ut cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, & inducant, ut* MEDICOS *advocent* ANIMARUM; id est confessarios.

Concilium Cabilonense sub Carolo Magno cap. 34. [a] *si medici, qui corporibus medicinam inferre conantur nequaquam propter personæ cujuslibet acceptionem, his quos sanare cupiunt cauterio, aut ferro, aut duris alijs quibuslibet rebus parcunt: multò magis idipsum his observandum est, qui non corporum, sed animarum* MEDICI *existunt*, confessarios intelligendo.

a tom. 3. conc. p. 1. sect. 2. p. 194.

Possem

Possem copiosiùs, idque nullo negotio, ostendere, tum ex concilijs, tum ex unanimi Patrum consensu, confessarium in hoc tribunali, non tantùm judicis, verùm etiam medici munere persungi, sed arbitror hæc sufficere, cùm non meminerim me quemquam legisse, qui hoc negaret. Quare ità progredior:

IX. Hoc sacramentum non judicij dumtaxat, sed & medicinæ cujusdam saluberrimæ rationem obtinet, quam curandis animæ nostræ vulneribus cœlestis noster Samaritanus instituit.

Quæro igitur, an ille, qui dubius est de lethali vulnere corporali, vel de febre, aliove morbo mortifero, possit certum remedium negligere, & de eo, de quo dubitat Lethali vulnere, medicum non monere? Quid si medicus certum remedium offerat, prudentiæ ne fuerit, an insaniæ dubio vulneri certum remedium non adhibere? Eritne, qui toleret, si propter hujusmodi dubitationem, & vulneris incertitudinem, læsus usurpet illud Martialis.

Quid mihi cum medicis? dimitte Machaonas omnes.

Pone D. Caramuelem seriò timere, ne contagiosa sit, & mortifera febris, quâ inceditur: offerat autem medicus singulare, & sanitatis efficax alexipharmacum, respondeat autem D. Caramuel: *se possidere libertatem, velle primùm sibi probari febrim esse contagiosam: interim se sequi sententiam probabilem, quod febris non sit*

L conta-

contagiosa, se prudenter agere, propterea quod se conformet prudenti judicio.[a] Quid ad hæc medicus? quid aliud, quàm quod peritus ille medicus, qui apud Comicum ajebat se obligasse crus fractum Æsculapio, Apollini autem Brachium, quid, inquam, nisi

Non potest hæc res Ellebori jugere obtinerier?

A corporalibus ad spiritualia transeamus. Si non nisi imprudentissimè, qui dubius est de Lethali vulnere corporali, refugit certum, sibique oblatum à medico remedium: an non longè intolerabilioris fuerit imprudentiæ, exitiabili animæ vulneri, peccato, inquam, de quo dubitas, non prospicere de certo remedio sacramentalis absolutionis à Christo Samaritano nostro nobis oblato? nonne tantò detestabilior fuerit negligentia, quantò æterna præstant temporalibus, & graviora sunt animæ, quàm corporis vulnera?

X. At inquies, in promptu esse remedium. Scilicet peccata, de quibus dubitas, vel auferenda contritionis beneficio, vel saltem indirectè, dum ab alijs absolvêris.

Verùm incertissimum est utrumque hoc remedium, & fortassis vanum, prout conati sumus ostendere suprà cap. 3. nu. 1. Quâ igitur conscientiâ certum sacramentalis confessionis remedium negligis? quin *tenes certum, & dimittis incertum?*

Ego sanè ità sentio infirmum legibus naturæ contravenire, & suî ipsius homicidam fieri, si oblato certo, & præsenti

præſenti remedio, incerta, & dubij eventus remedia complectatur: multò itaque potiori jure violabit instituta naturæ jura, qui oblatum ſibi certiſſimum ſacramentalis abſolutionis antidotum, poſtponit incertis & quantum exiſtimo, inanibus, prætenſæ contritionis, vel indirectæ abſolutionis, remedijs.

Concludamus itaque verbis authoris de vera & falſa pœnit. c. 15.[a] *Ponat ſe omninò pœnitens in judicio Sacerdotis, nihil ſibi reſervans ſuî: paratus facere pro reparanda anima, quæcumque faceret pro vitanda corporis morte*, & ſicut pro vitanda corporis morte exponeret medico corporali corporis vulnus mortale dubium, ità medico ſpirituali exponat animæ vulnus mortale dubium.

a apud Auguſt. tom. 4. pag. 515.

§. 4.

Diverſæ probationes conglobatæ.

XI. PRobatio 1 ex Joanne Eckio:[a] *tenetur homo ad confitendum non ſola peccata nota, ſed etiam dubia.... nam ſi in veteri lege oſtendebat ſe ſacerdoti talis de quo dubitabatur an eſſet leproſus, ut ſic ſacerdos judicaret, & diſcerneret inter lepram, & non lepram:*[b] *nam ſi ſolùm manifeſtè leproſus fuiſſet vitandus, quid opus fuiſſet tam exacto judicio? Et quia omnia in figura contingebant illis, ait Apoſtolus*[c]*: judicabit ergo ſacerdos Evangelicus, quando ambiguum eſt judicium de ſpirituali lepra animæ. Iudicare autem non poterit niſi fuerit ſibi per confeſſionem revelatum. Quoniam ſicut non poteſt ama-*

a l. 3. de pœnit. c. 11. p. 184

b Levit. 13. Deuter. 17.

c 1. cor. 10.

test amare incognitum secundum deductionem Augustini IX. *de Trinitate, ità nec judicare potest incognitum.*

a ibidem pag. 185. XII. PROBATIO 2 ex eodem Eckio: a *homo non est tutus in conscientia, solùm manifesta, & quæ nota sunt peccata confitendo, nisi etiam dubia confiteatur. Optima nempe est Theorica:* EXPONENS SE PERICULO PECCATI MORTALIS, PECCAT MORTALITER : *& quod dici solet, agere incertum, & dimittere certum, in materia mortali, est mortale... Docuit hoc*

b Eccl. 3. *sapiens,* b QUI AMAT PERICULUM, PERIBIT IN ILLO. *Cùm ergo aliquis habet dubium probabile, an actus sit peccatum, non debet se exponere periculo illud occultando, sed detegat illud confessori, & Iudicium medici expectet, an vulnus sit mortiferum, aut minus.*

Utitur eodem probationis genere Jacobus Latomus ad artic. 3. Lutheri à Lovaniensibus condemnatum:

c pag. 31. col. 2. c *Qui dubitat an peccaverit mortaliter, an non, & an consensus ad illicitum sit mortalis, vel perfectus, & plenus, an non? nonne tutius erit confiteri? Et quis secundum Martinum* (Lutherum) *securum reddet pœnitentem de remissione? nonne in tali casu non confitens amat periculum, contra illud Ecclesiastici 3 qui amat periculum peribit in illo?*

Utramque hanc probationem Eckij, & Latomi verbis exhibere volui, ut constaret tanto, nedum ante Caramuelis doctrinam, sed & ipsum Caramuelem natum, tempore, sententiam illam de mortalibus dubijs in confessione non exprimendis fuisse doctè confutatam: siquidem

dem Joannes Eckius ista scripsit in decembri anno 1523. & Jacobus Latomus ultimâ decembris anno 1520. prout perspicuum est ex epistola proemiali utriusque scriptis præfixa. Ut proinde fallatur Caramuel, dum confidenter asserit, quod hanc difficultatem *omisère veteres.* [a] *a p. 673.*

XIII. PROBATIO 3. Ecclesia debet consecrari, si dubitetur de ejus consecratione, ut expresè habet carthaginense 5. cap. 6. [b] cùm enim dixisset infantes, de quorum baptismo dubitatur, baptizandos esse, subjungit: *similiter & de ecclesijs (quoties super earum consecratione hæsitatur) agendum est, id est, ut sine ulla trepidatione consecrentur.* Felix quartus [c] generaliter statuit: *de Ecclesiarum consecratione quoties dubitatur, & nec certa scriptura, nec certi testes existunt à quibus consecratio sciatur, absque ulla dubitatione scitote eas esse consecrandas.* Alloquitur omnes fideles, seu orthodoxos. Consonat Concilium Meldense capite 8. [d] *Ecclesiæ, vel altaria, quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur.* Quod si templa inanimata rursum consecrari debeant, si dubitetur de illorum consecratione: quantò magis templum Dei vivi debebit Deo consecrari dubiorum confessione, si dubitetur, num aliquâ mortalis criminis maculâ prophanatum sit?

b tom 1. conc par. 1. p. 593.

c de consec. dist. 1 c. solemnitates 16.

d ibidem cap. 18.

XIV. PROBATIO 4. *Confessio debet correspondere contritioni, cùm sit signum ipsius: contritio autem, quæ non est integra, non est vera contritio*: ergo necesse est, ut *nullum peccatum quod scitur, vel* DUBITATUR *esse mortale dimittatur*, seu taceatur in confessione.

 Ità

Ità ratiocinabatur Joannes Viguerius Institutionum c.16. [a] dum scribebat anno 1565.

a §.4. v. 17 p.181 col.1.

Negat quidem Caramuel ad objectionem quintam, [b] *quod debeat homo conteri propter peccatum dubium.*

b pag. 693.

Verùm malumus credere tridentino dicenti sessione 14. capit. 4: *fuit autem* QUOVIS TEMPORE *ad impetrandam veniam peccatorum hic* CONTRITIONIS *motus necessarius.*

b ibidem

[c] Et canone 4. *Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti pœnitentiæ, videlicet* CONTRITIONEM, *confessionem, & satisfactionem &c. anathema sit.* Et anteà sess. 6. cap. 14. *docendum est christiani hominis pœnitentiâ.... contineri, non modò cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor* CONTRITUM &c. Item florentino dicenti: [d] *quartum sacramentum est pœnitentia cuius, quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes: quarum prima est cordis* CONTRITIO, *ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero &c.*

d in decreto unionis.

XV. PROBATIO 5. Unusquisque sibi blanditur, & cœcus est in proprijs defectibus, quod si itaque velimus proprio stare judicio, in plerisque incipient homines dubitare, an mortaliter deliquerint? an adfuerit requisita advertentia, consensus, vel materia ad peccatum mortale? Et ità sensim negligetur sacramentum confessionis. Ità ferè Eckius.

16. PRO-

XVI. PROBATIO 6. Juxta Gregorium lib. 12. epistolarum [a] quoties de confirmatione aliquorum *dubitatio habetur*, debent confirmari, *ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat*. Ergo quoties de confessione mortalis peccati dubitatio habetur, multòmagis debet confessio fieri, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, cùm indubitatum sit majorem esse confessionis, quam confirmationis obligationẽ.

[a] indict. 7. c. 31. p. 250.

XVII. PROBATIO 7. Omnia jura clamant, quod in dubijs *via tutior est eligenda*. cap. illud 5. ✠ de clerico excom. cap. ad audientiam 12. cap. petitio 22. de homicidio. c. juvenis. de sponsalibus. clem. exivi. de verb. signifi. Quam regulam de foro conscientiæ intellectam, passim amplectuntur interpretes omnes, glossa & Panormit. in cap. d. Juvenis. Item S. Antoninus 3. p. tit. 5. cap. 2. §. 9. dicens: *in his, quæ concernunt forum conscientiæ, in dubijs tutior via est eligenda.* Jam verò clarum est, quod tutior via sit confiteri mortalia dubia, quàm non confiteri. Ergo via illa est eligenda.

Confirmatur 1. Confitendo mortalia dubia nullum timetur animæ periculum, non confitendo autem timetur animæ periculum. Ergo necesse est mortalia dubia confiteri. Utitur hoc argumenti genere Innocentius 3. cap. significasti 18. ✠ de homicidio, in responso ad hunc casum. Quidam maleficus ingressus ecclesiam, Eucharistiam cum altarium ornamentis & libris ecclesiasticis asportaverat, quem videns L. presbyter ecclesiæ cano-

canonicus regularis, fossorio arrepto percussit: sed ignorabatur, an percussio illa fuisset lethalis, propterea quod parochiani ecclesiæ videntes furem ornamenta ecclesiæ asportantem, arreptis gladijs & fustibus in eodem loco eumdem protinùs occiderunt. Interrogatur itaq; Pontifex, utrùm in tali dubio presbyter ille à sacerdotali officio abstinere debeat? & respondet: *quod si discerni non possit ex cujus ictu percussus perijt, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi sacerdos: & si fortè homicida non sit, à sacerdotali officio abstinere debet: cùm in hoc casu cessare sit tutiùs, quàm temerè celebrare, pro eo, quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.*

Cui resolutioni consonat, quod Augustinus de catech. rud. c. 14. tradit [a]: *si tantùm modò posset hoc facere, non facere autem nihil obesset, infeliciter in periculo salutis, non tam proximi, sed nostræ, oblatum remedium sperneremus.*

[a] tom 4. pag. 301.

Confirmatur 2. Ut patet ex suprà allegatis capitulis, qui dubius est de irregularitate tenetur, tutiorem viam eligere, & tamquam irregularitatem incurrisset, sese gerere: ergo multò magis, qui dubitat de mortali peccato à se commisso, debet & tutiorem viam eligere, & perinde sibi prospicere, ac si reverà mortale incurrisset.

Confirmatur 3. Manifestum est, quod *pro incertis à certis recedendum non est.* 30. qu. 5. in fine. Certum est autem, quod confitendo mortale dubium, satisfacias præcepto confessionis: incertum an satisfacias non confitendo. Ergo.

Cap. 5.

CAPUT QUINTUM.

Respondetur argumentis D Caramuelis ex tridentino.

I. ADversus assertam à nobis hactenùs evidenter, nî fallor, doctrinam, varia congerit argumenta Caramuel, propter quæ, confidenter asserit, [a] opinionem nostram *scrupulis potiùs insistere, quàm fundamentis.* Et infrà: [b] conclusionem à se positam sibi visam fuisse *solidissimis argumentis probari.* Verùm egrè crediderim, quod tam generosè pro hac sententia depugnasset, si Lutherum huic doctrinæ prælusisse observasset, quandoquidem expresse doceat [c] lutheranam doctrinam idcircò à Deo revelatam non esse, *quoniam prima & præcipua illius fundamenta à diabolo tradita sunt, & cetera diabolicâ fide succollantur.*

a p. 690.
b p. 699.
c pag. 510

§. I.

Ostenditur falli D Caramuelem, dum putat conscientiam in tridentino designare notitiam scientificam. Item, conscientiâ peccati mortalis gravari, non eum tantùm, qui certus est, verùm etiam, qui dubius est, an mortaliter deliquerit?

II. EX tridentino sess. 14. cap 5. sic argumentatur D. Caramuel: [a] *censendum est tridentinum concilium sufficienter docuisse fideles sessione XIV. in qua de pœnitentia ex professo actum. At ibi apertè docet pœnitentem debere confiteri*

a p. 678.

M omnia

omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habet; ergo & docuit non debere confiteri illa, quorum post diligentem discussionem conscientiam non habet. Atqui illorum, de quibus, quis dubitat, conscientiam non habet. Ergo

Probatur minor: quia conscientia est notitia scientifica, & dubium scientifica notitia non est. Ex quo etiam infrà ad ob-
a p. 693. jectionem quartam [a] infert, sacram synodum definire, quod *exponi debeant in confessione omnia peccata, quæ fuerint in conscientia, non quidem dubia, sed certa & evidenti.*

III. Verùm huic argumento respondere, nullum est negotium: nam quo jure asseritur, eodem negatur, quod conscientia debeat esse scientifica notitia. Cui enim unquàm, obsecro, hoc in mentem venit?

Et sanè hujusmodi frivolum glossema non patitur textus tridentini eodem capite, ubi sese explicans infrà concludit, *nihil aliud in ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm, ut postquam quisque diligentiùs se excusserit, &* CONSCIENTIÆ *suæ sinus omnes &* LATEBRAS *exploraverit, ea peccata confiteatur &c.* Quibus verbis *conscientiæ* nomine perperàm quis dixerit, intelligi notitiam scientificam, utpote quæ nullos habet sinus aut latebras explorandas, cùm sit notitia manifesta & evidens.

Quin immò ex dato glossemate consequens foret, quod ille, qui probabiliter dubitat, num peccaverit mortaliter, nequidem deberet explorare, an peccaverit mortaliter:

taliter: quia nemo tenetur explorare, an peccaverit mortaliter, nisi qui habet conscientiam explorandam: qui autem probabiliter dubitat, nō habet conscientiam explorandam juxta Caramuelem, quia nullam habet notitiam scientificam: quo ergo jure tenebitur explorare, an peccaverit mortaliter? quàm autem hoc sit absonum lector expendat.

Denique tridentinum ibidem conscientiam opponit oblivioni, & ignorantiæ peccatorum, *pro quibus fideliter cum propheta dicimus*[a] *ab occultis meis munda me domine.* [a] Ps. 18. vers. 13.
Certissimum autem est, quod non sola notitia scientifica opponatur oblivioni & ignorantiæ peccatorum occultorum, sed etiam dubitatio & probabilis recordatio.

IV. Confirmatur responsio. Eodem sensu tridentinum sess. 14. cap. 5. dicit pœnitentem debere confiteri mortalia, quorum *conscientiam habet*, quo sensu sess. 13. can. 11. dixerat anathema, si quis negaret sumptioni Eucharistiæ præmittendam esse confessionem sacramentalem, *illis, quos conscientia peccati mortalis gravat*, sed hæc verba non possunt referri ad solam notitiam scientificam: gravantur enim conscientiâ peccati, etiam, qui non habent notitiam scientificam peccati commissi: ipse enim timor & dubitatio de peccato commisso, ponderis instar gravat animam, oneratque sollicitudine. Præclarè siquidem Cicero de natura[b] *& virtutis, & vitiorum sint ulla divina ratione grave ipsius conscientiæ pondus est: quâ sub-* [b] 3. n. 77.

 latâ

latâ jacent omnia. Utique grave conſcientiæ pondus intelligens, quod venit à notitia dumtaxat probabili, quia notitiam ſcientificam academicorum opinioni adhærens non agnoſcebat. *Quis enim ignorat eum affirmaſſe vehementer, nihil ab homine percipi poſſe, nihilque remanere ſapienti niſi diligentiſſimam inquiſitionem veritatis?* inquit Auguſtinus lib. 1. contra academicos cap. 2.

V. Et verò gravitas illa & pondus conſcientiæ, nequidquam eſt aliud, quàm remorſus & anxietas animi ob peccatum præteritum ſolliciti. Quis autem dubius de mortali crimine non experitur hujuſmodi remorſum & anxietatem, niſi prorsùs omnem animo proſcripſerit ſalutis ſuæ curam, & ſollicitudinem? Graviter angitur, qui timet, ne corpus lethaliter vulneraverit: & immunis erit ab omnibus conſcientiæ ſtimulis, qui timet ne infinitè pretioſiorem lethaliter vulneraverit animam?

VI. Si quis tamen præfractè reſtiterit, efficaciorem proferemus ex Pontificum oraculis probationem.

Capitulo petitio 24. ꝟ de homicidio proponitur hic caſus honorio tertio.

Inimici dominicæ crucis ac blaſphæmi nominis chriſtiani graviter invaſerant caſtrum in quo morabatur Pelagius presbyter. Exeuntibus inde habitatoribus, tam clericis, quàm laicis contra eos, ac invicem confligentibus, hinc inde occiſi quàm plurimi extiterunt. Cumque dictus Pelagius aliquos percuſſiſſet, metuens ne irregularitatem

laritatem incurrisset, consuluit Pontificem, quid sibi hoc in negotio agendum esset? En Pontificis responsum & responsi causam: *mandamus quatenùs si de interfectione cujusquam in illo cōflictu tua* CONSCIENTIA TE REMORDET, *à ministerio altaris abstineas reverenter, cùm sit consultius in hujusmodi* DUBIO *abstinere, quàm temerè celebrare.* Quid manifestius? *in dubio* abstinendum esse à ministerio altaris declarat Pontifex, & tali casu *conscientiam remordere.*

Haud absimile est, quod habet Clemens 5. cap. 1. exivi. de verb. signifi. *In his, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus cōscientiæ, pars securior est tenenda.*

Quò spectat etiam, quod tradit Innocentius 3. cap. inquisitioni 44. ✠ de sent. excom. quod quandoque *conscientia* PULSET *animum ex credulitate probabili & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta.* Ex quibus verbis duo licet colligere, primum quidem, quod conscientia pulset, & remordeat animum, etiam in casu dubio & probabili. Alterum, falsum esse, quod conscientia debeat esse evidens & manifesta, cùm ex declaratione Pontificis possit niti *credulitate probabili & discretâ.*

VII. Redeundo itaque ad argumentum propositum, dico falsissimum esse, quod in tridentino per conscientiam peccati intelligatur notitia scientifica peccati. Quin immò ex dictis retorquetur argumentum & ipsum Caramuelem jugulat hoc modo: pœnitens debet confiteri omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui

discussionem conscientiam habet: atqui illorum, de quibus, quis probabiliter dubitat, conscientiam habet, prout constat ex allegatis honorij 3. Clementis 5. & Innocentij 3. testimonijs. Ergo.

§. 2.

Quid igitur nomine CONSCIENTIÆ *intellexerit tridentinum?*

Conscientiæ nomine tridentinum non intelligere notitiam scientificam, hactenùs probatum est: at quid intellexerit nondum diximus. Quare, ut oppositæ nobis objectionis penitùs satisfiat, non erit alienum à proposito illud ipsum indagare.

VIII. Dico igitur quod in tridentino conscientia peccati, nequidquam sit aliud, quàm *memoria, seu recordatio peccati à nobis perpetrati.* Quod quidem multis probari & evinci potest.

Primò. Tridentinum loco citato cùm dixisset in confessione recensenda *omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem* CONSCIENTIAM *habent*: canone 7. illud ipsum explicans dicit anathema, *si quis dixerit, necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum* MEMORIA *cum debita & diligenti præmeditatione habeatur.* Ubi vides *conscientiam* in canone vocari *memoriam*, ac proinde pro eodem usurpari.

Secun-

Secundò. Cùm tridentinum ſub initium capitis 5. citati dixiſſet, omnia recenſenda, *quorum conſcientiam habent*, moxità exponit, quod dixerat: *itáque dum omnia, quæ* MEMORIÆ *occurrunt peccata Chriſti fideles confiteri ſtudent &c.* Et iterum infrà: *ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe* MEMINERIT. Ubi iterum perſpicuum eſt *conſcientiam* & *memoriam* nullo diſcrimine pro eodem uſurpari.

Tertiò. Uerba illa tridentini: *conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras exploraverit* convenientiſſimè ad memoriam referuntur. Quo ſenſu fideles inſtituunt quotidianum examen conſcientiæ, ſinus illius omnes & latebras recordationis explorando, dum examinant quid unoquoque die meminerint ſe egiſſe.

Quartò. Peccata quorum non habemus conſcientiam tridentinum opponit peccatis, quorum non meminimus, quæque nobis diligenter cogitantibus non occurrunt: *reliqua autem*, inquit, *peccata, quæ diligenter cogitati* NON OCCURRUNT, *eâdem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus:* [a] *ab* OCCULTIS, *meis munda me Domine.* Ergo ſignum eſt, quod concilium anteà per conſcientiam intelligi voluerat recordationem, ſeu memoriam, hoc enim prorsùs requirit facta per concilium antitheſis.

[a] Pſal. 18. verſ. 13.

Quintò. Dum agitur de conſcientia reſpectu præteritorum, intelligi ſolet recordatio præteritorum. Ità vim

hujus

hujus vocis explicatam reperio apud Nizolium in suo thesauro ciceroniano: *conscientia*, inquit, RECORDATIO, *animi quidam ratio, vis & lex, à qua, & de rectè factis, & secùs admonemur.*

Appositè autem addidit, quod conscientia sit recordatio per quam *admonemur*, quia non quæcumque recordatio dicitur conscientia, sed illa dumtaxat, quæ nos rei à nobis gestæ admonet, quæ admonitio sicut in bonis solet parere gaudium & lętitiam, ità in malefactis solet parere remorsum & tristitiam. Unde adagium illud græcorum: *conscientia verberat animum, & illud* Quintiliani: *conscientia mille testes.*

IX. Ex quibus patet, quæ fuerit mens tridentini, cùm dixit in confessione recensenda omnia peccata mortalia, quorum pœnitentes *conscientiam habent*: nimirum, quod recensenda sint omnia mortalia, quorum pœnitentes habent recordationem, quæ ipsos peccati admoneat, & redarguat. Porrò recordatio non tantùm pœnitentes admonet, & redarguit, quandò certi sunt de peccato mortali commisso, sed etiam quandò dubitant. Nam admonitio quam nobis ingerit memoria peccati præteriti, nequidquam est aliud, quàm remorsus ille de quo paragrapho præcedente, quē etiam ex peccato mortali dubio posse oriri ibidem probavimus. Et patet ex eo, quod ille, qui veretur ne in pugna mortale vulnus susceperit, memoriæ suæ testimonio admonetur, ut sibi consulat, & de remedio prospiciat.

§. 3. *Res-*

§. 3.

Respondetur ulterioribus Caramuelis probationibus ex tridentino.

X. NOn patitur sibi satisfieri Caramuel, sed opportunè, importunè ità progreditur: [a] a p. 679.

Ideò debemus singulorum peccatorum speciem & numerum confiteri, quia sacerdotes judicium hoc incognitâ causâ exercere non possunt, nec æquitatem in pœnis injungendis servare: ergo dubia peccata non debemus exponere.

Quorsùm obsecro? *quia causa dubia non est cognita: & causâ incognitâ judicium hoc exerceri non potest.*

XI. Lepidum argumenti genus, & ad probandum, quod conscientia sit notitia scientifica apprimè idoneum! Itane *judicium hoc exerceri non potest?* non est igitur licitum dubia confiteri? non est sacerdoti integrum, dubia mortalia confitenti absolutionis beneficium impendere? praxim igitur & usum totius ecclesiæ culpamus, quæ, si Deo placet, incognitâ causâ hoc judicium exercet, dum dubia confitentibus absolutionis beneficium promiscuè impertitur?

Atqui Caramuelem meminisse oportebat, illius, quam ex Homo-bono suprà [b] laudaverat doctrinæ. Nimirum, b p. 659. *absolutionis beneficium moribundo impendi posse, etiamsi nullum confessus sit peccatum, nec confessionem petierit, nec indicia exhibuerit, ex quibus actus contritionis, vel attritionis argui possit.* Quæro enim utrius causa sit magis cognita, illius,

N qui

qui candidè & explicatè mortale vulnus dubium cum animi contritione, judicis medico exponit, an alterius qui *nullum confessus est peccatum, nec confessionem petijt, nec indicia exhibuit ex quibus actus contritionis, vel attritionis, argui possit?*

Quapropter argumento Caramuelis directè respondetur, quod ubi versamur in causa sanitatis obtinendæ, causa dubia sufficienter sit cognita, ut exponi debeat sacerdoti, quâ ratione fungitur officio, non tantùm judicis, verùm etiam medici. Siquidem confessarius non debet tantùm considerari, ut judex puniens, sed ut medicus sanans, prout probatum est capite præcedente num. 8. Et ulteriùs confirmari potest ex rituali romano jussu Pauli V. edito, in quo sic ordinatur: *imprimis meminerit confessarius se judicis pariter &* MEDICI *personam sustinere &c.* Et paulò post: *ut ergo rectè judicare queat discrimen inter lepram & lepram, & tamquam peritus* MEDICUS *animarum morbos prudenter curare, & apta cuique remedia applicare, sciat, quantum potest maximam ad id scientiam atque prudentiam &c studeat sibi comparare.*

Jam verò causa vulneris dubia, dum exponitur medico, sufficienter est cognita, ut judicio medicinali vulnus ipsum mortiferum curetur, quemadmodum facilè declarari posset exemplo vulneris corporalis.

XI. Eadem responsio dari debet huic, quam adfert instantiæ: *afferente concilio debet æquitas in pœnis injungendis*

gendis servari. Ergo debet certò constare de delicti existentia, aliàs enim quâ æquitate pœnæ certæ, & determinatæ pro peccato incerto, & indeterminato injungerentur?

Falsum enim est, quod pro peccato incerto non possit injungi pœna certa, & determinata, si sit medicinalis; sicut in simili, pro morbo incerto potest, immò subinde debet præscribi medicina certa, & determinata, quamvis medicina illa plerisque sit pœnalis.

XII. Minoris momenti sunt alia, quæ ex tridentino Caramuel profert argumenta, imò pleraque sententiam nostram confirmant.

Tale est, quod dicat [a] confessionem peccatorum dubiorum non esse *apertam*, nec *verecundam*: è diverso enim non est *aperta*, neque *verecunda* confessio ægroti, qui non vult medico aperire vulnus, vel morbum dubium, quo laborat. [a] p. 679.

Tale est etiam quod ait: [b] *dubia non retinentur scienter; nō enim in dubijs datur scientia*: præterquam enim, quod ridiculè *scienter* usurpari putet pro *scientia* propriè dicta: nonne ægrotus diceretur scienter aliquid retinere, aut medicum celare, qui recusaret morbum internum, de quo dubitat, pandere medico? [b] ibidem

XIII. *At*, inquit, [c] *qui dubitat non meminit se Deum offendisse, dubitare enim non est meminisse. Scire est quoddam meminisse, dicebat Plato, nullum tamen audivimus dubitare, & meminisse confundentem.* [c] ibidem

Verùm fallitur Caramuel, non confundimus *dubitare, & meminisse*, aliàs sola dubia forent in confessione aperienda, si dubitare, & meminisse forent synonima: tantùm illud asserimus, quod nonnunquam meminerimus, etiam eorum de quibus dubitamus: æger enim potest meminisse indispositionis nocturnæ, quamvis dubitet, an reverâ fuerit indispositio mortifera.

Imò generaliter verum est, quod omnis qui dubitat, meminerit, quamvis non omnis qui meminit dubitet, siquidem etiam recordamur eorum, quæ scimus certò. Rationem hujus doctrinæ petimus ex Augustini doctrina in simili, docet enim [a] quod, si quidpiam *penitus aboleatur ex animo, nec admoniti reminiscimur. Neque enim omnimodò adhuc obliti sumus, quod vel oblitos nos esse meminimus. Hoc ergo, nec amissum quærere poterimus, quod omninò obliti fueramus.*

a l. 10. conf. cap. 19. p. 73.

Eodem enim pacto si peccatorum dubiorum non meminissemus, ne admoniti quidem eorum reminiscceremur, neque omninò adhuc obliti sumus, de quo vel dubitare nos meminimus: neque dubium quærere possemus, si illius omninò obliti essemus.

Accedit quod negari non possit nos saltem meminisse peccatorum, quæ scimus à nobis commissa, quamvis dubitemus & incerti simus, mortaliter, an venialiter tantùm peccaverimus: ergo saltem hujusmodi peccata dubia debebunt in confessione exponi, quidquid in contrarium obluctetur Caramuel.

Cap. 6.

CAPUT SEXTUM.

Respondetur argumentis ex prætensa analogia tribunalis forensis, & sacramentalis.

§. I.

Declaratur discrimen inter tribunal forense & sacramentale.

I. MAnifestè sibi videtur concludere Caramuel dum ità discurrit: [a] *confessionis tribunal est analogum tribunali forensi & litigioso: utrumque enim constituitur actore, Reo, testibus & judice &c. atqui in tribunali mechliniensi, hæ accusationes: appello de latrocinio sortem, quia dubito utrum furatus fuerit, Anselmum, quia est unum indicium leve &c. admitti non debent. Ergo nec in Tribunali confessionis.* a p. 676.

Mirum est quod Caramuel verbo non dissolvat totam confitendi difficultatem, sic argumentando: *confessionis tribunal est analogum tribunali forensi, & litigioso: atqui in tribunali mechliniensi nemo tenetur se accusare de peccatis occultis, quamvis certò sciat à se commissa: ergo nec in tribunali confessionis.*

II. Dicendum itaque analogiam inter tribunal forense & confessionis esse imperfectam, & in multis deficere. Est enim similitudo, non æqualitas, solet autẽ similitudo in multis deficere. Hinc Augustinus lib. 15. contra Faust. cap. 15. [b] *quasi verò cùm simile aliquid dicitur, ex omni parte, atque ex omni modo simile intelligatur?* b tom. 6. pag. 133.

 Porrò

Porrò in quo deficiat hæc similitudo docet nos catechismus romanus parte 2. nu.33. [a] his verbis: *hoc judicium longè dissimile est forensibus capitalium rerum quæstionibus, in quibus confessionis pœna & supplicium, non culpæ liberatio & errati venia constituta est.*

a p. 226.

Quin etiam concilium [b] Coloniense in Enchiridio de justificatione addit insuper, quod *peccator reconciliatus magis sit conferendus ad sententiam passum & restitutum, quàm ad absolutum in foro, quod Absolutio, quâ Peccator à delictis absolvitur* NIHIL *simile habeat cum absolutione forensi.* Tantùm abest, ut agnoscat omnimodè perfectam analogiã.

b pag. 163. col. 2.

Quapropter lata est inter utrumque tribunal differentia. Confessis in tribunali forensi sola pœna infligitur, & plerumque etiam vita tollitur: confessis in tribunali confessionis, æterna pœna tollitur, & ablata per peccatum vita restituitur. Illud est tribunal afflictionis, hoc autem spiritualis consolationis. In illo non est expectanda, nisi executio justitiæ, in hoc certissima est spes veniæ. Illud est tribunal vindictæ, hoc gratiæ. In illo noxium est sponte se accusare, in hoc utilissimum. In illo diversæ sunt partes actoris, Rei, & testis: in hoc justus accusator est suî ipsius, soliusque propriæ conscientiæ testimonio Reum se constituit. Denique, quod rei caput est, in illo judex non alio, quàm judicantis fungitur officio: in hoc sacerdos non tantùm judicis, verùm etiam periti medici fungitur officio superfundens vinum & oleum vulneribus sauciati. Cùm

Cùm itaque tam varia ſint inter utrumque tribunal diſcrimina, quis non videt, præpoſterè transferri ad ſacramentale, quod forenſi eſt proprium? Quid? quod ex allegato inter utrumque tribunal diſcrimine, oppoſitum concludi poteſt? quamvis enim, ubi de ſola pœna, executione juſtitiæ ac vindicta agitur, admitti non debeat accuſatio, quæ in ſolo dubio nititur: ubi tamen agitur de pœna æterna vitanda, de ablata per peccatum vita reſtituenda, de ſpirituali conſolatione obtinenda, de ſpe veniæ & gratiæ, de comparandis incredibilibus animæ commodis, eademque debet actoris, Rei, & teſtis eſſe perſona, quis diffiteatur dubium animæ vulnus, & periculoſum conſcientiæ pondus ſacerdoti, non tam judici, quàm medico futuro, exponendum, & candidâ confeſſione declarandum? negligens profectò & ſalutis ſuæ parum ſolicitus fuerit, qui ſecùs fecerit.

§. 2.

Cujuſmodi abſolutio impendi debeat mortali dubio? ſit ne neceſſe peccato dubio in confeſſione certam materiam adjungere?

III. CONfutatam argumentationem ità confirmat Caramuel:[a] *pænitenti, legitimè confitenti debet confeſſarius abſolutionem impendere: atqui abſolvi non poteſt abſolutè, qui ad tuos pedes provolvitur, & ait: domine utrum furatus fuerim dubito, ſi verè furatus fuerim, me accuſo, aliàs nō.* [a] p. 676.

Ad

Ad hoc argumentum fatente Caramuele dupliciter respondeti solet: *alij enim volunt certam aliquam materiam dubio peccato adjungi, alij nullam certam adjungi, sed absolutionem dari sub conditione.*

Utramque autem solutionem esse *absolutè insufficientem* clarissimè probare contendit Caramuel. Quàm feliciter, lubet experiri. Et quidem primam expendemus hoc paragrapho, alteram sequenti.

IV. Prima, inquit, solutio displicet, quia non est obligatio confitendi mortalia aliàs remissa, & juxta tridentinum venialia taceri, *& multis alijs remedijs expiari possunt.* [a]

Verùm nunquam evincet Caramuel, non posse quempiam per accidens obligari, vel ad mortale aliàs remissum, vel ad veniale confitendum. Tridentinum enim nō agit nisi de obligatione directa, & de peccatis, quæ per se, & gratiâ suî tenemur confiteri. Aliàs potest quis certis casibus teneri ad confessionem venialium, ut patet si quis voverit confiteri certa peccata venialia: item si quis ex conscientia erronea veniale putet fuisse mortale: item secundum quosdam ratione periculi ad quod venialia ducunt. Eodem itaque jure dicetur, quod per accidens ratione dubiorum mortalium, sit obligatio adjungendi aliquod veniale, ne sacramentum fortè reddatur irritum.

Neque est quod queratur Caramuel universalem locutionem tridentini restringi, præterquam enim quod suppetat ratio gravissima, scilicet ne sacramentum fortè reddatur

[a] sess. 14. cap. 5.

reddatur irritum : nolit velit Caramuel in eodem capite similem restrictionem debet ex casuistis admittere. Quod ità ostendo.

Eodem capite 5. generalis regula statuitur: *oportere à pœnitentibus* OMMIA *peccata mortalia, quorum post diligentem suî discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri.* Et tamen adversus hanc generalem regulam, quàm variæ passim admittuntur exceptiones, & restrictiones? si impendeat notabile incommodum confitenti, vel complici ex manifestatione certi peccati, plerique dicunt posse peccatum illud in confessione non recenseri. Unde P. Amicus disp. 13. sect. 8. assignat octo casus ex parte pœnitentis, quibus confessio non debet esse integra: deinde aliquot ex parte absolventis, & ex parte tertij.

V. Superest, ut respondeamus metaphysico casui proposito à D. Caramuele in hunc modum: [a] *habeat Petrus unum, & solum peccatum dubium, nullum veniale, nullum aliud mortale*: *inquiro*, inquit, *an iste teneatur materiam aliquam certam adjungere? si casus possibilitatem negas, rem clarissimam negas, quia Petrus potest donari privilegio impeccabilitatis, vel saltem præservari ne peccet, & præter privilegium, illis primis horis, quibus uti ratione incipit, potuit habere mortale dubium, ante certum mortale, aut veniale.* Ex quibus concludit, quod dubia mortalia non debeant tum subijci confessioni, cùm non possint indirectè remitti, adjuncto veniali, aut mortali aliàs remisso. a p. 677.

O Verum

VI. Verum eſt, quod hîc ſibi opponit Caramuel, caſum illum de lege ordinaria non eſſe poſſibilem. Clariſſimè enim dicit Auguſtinus libro de natura, & grat. c. 35.
a tom. 7. p. 316. quod,[a] *exceptâ ſanctâ Virgine Mariâ... ſi omnes ſanctos, & ſanctas cum hîc viverent congregare poſſemus, & interrogare, utrum eſſent ſine peccato .... quantâlibet fuerint in hoc corpore excellentiâ ſanctitatis, ſi hoc interrogari potuiſſent, unâ voce clamaſſent: ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.*

Quod ipſum probat cap. 36. ex oratione omnium ju-
b ibidem ſtorum:[b] *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Per hoc enim quotidianum ſpiritale quodam modo incenſum, quod ante dominum in altari cordis, quod ſurſum habere admonemur, infertur etiamſi* NON HÎC VIVATUR SINE PECCATO, *licet mori ſine peccato &c.*

Ex hac enim oratione conſtat neminem eſſe, qui non habeat debita, ſeu peccata, ac per conſequens, quod poſſit ille, qui habet peccatum dubium ità confiteri: *dimitte nobis debita noſtra, & peccatum de quo dubito, an commiſerim, vel an mortale fuerit.* Et licet admitteretur, quod adultus oblivioni mandaverit omnia certa peccata, tam gravia, quàm levia, prout aſſerit Caramuel, nihilominus poteſt generaliter confiteri ſe in multis deliquiſſe, Deoque debitorem eſſe, in vim hujus orationis: *dimitte nobis debita noſtra.* Quod maximè concludit adverſum Caramuelem, qui fatetur, quod ſenſus horum verborum:

borum, [a] *dimitte nobis debita nostra*, sit hujusmodi: *domine Deus dimitte mihi per sacramentalem confessionem mea peccata.* Additque, quod sacerdos legens horas, *confessionem postulet singulis horis.* Quare, sicut quilibet potest legere orationem dominicam, itâ quilibet poterit dicere eo quo Caramuel exponit sensu: *domine Deus dimitte mihi per sacramentalem confessionem mea peccata, & mortale de quo dubito.* [a] p.656.

VII. Quod attinet ad privilegium impeccabilitatis, & casus legis extraordinariȩ, nō est imprimis credibile, quod Deus conferret privilegium impeccabilitatis illi, de quo dubium foret, an esset in statu peccati mortalis, & inimicitiæ secum. Sed ut ut sese res hæc habeat, casus illi nihil faciunt ad propositum, quia quȩstio nostra versatur in casibus legis ordinariæ: dato tamen casu illo extraordinario, dico, quod vel Deus extraordinario modo tolleret illud mortale dubiū, sicut extraordinario modo præservaret à peccato, vel aliàs dico, quod Petrus teneretur mortale illud dubium solum sub conditione confiteri, quia dum diximus adjungendum esse veniale, vel mortale dubio mortali, intelligendum hoc fuit de lege ordinaria, & ubi id fieri potest. In casu autem extraordinario eodem modo loquendum erit de confessione, sicut de baptismo, qui in simili casu potest sub conditione conferri, prout dicemus infrà.

§. 3.

Possitne mortali dubio conditionata absolutio impendi? lapsus Caramuelis negantis baptismum posse sub conditione conferri. Quorumdam opinio, quod mortali dubio possit impendi absolutio sine conditione.

VIII. EX dictis patet, quàm inefficaciter impetatur prior illa solutio: ad aliam transeo, quàm longè verisimiliorem existimo.

Et quidem non parùm fallitur Caramuel hoc discursu: [a] *absolutio conditionata non est certa absolutio, sed fortassis erit.... Cùm dicis*: SI NON ES BAPTIZATUS, EGO TE BAPTIZO &c. *si verè peccasti, ego te absolvo, non conficitur sacramentum certum, quod deleat peccatum (originale, vel actuale) dubium, sed proferuntur verba, quæ fortè sacramentum constituent, fortè non constituent. Ergo &c.*

[a] p. 677.

Siquidem velit Caramuel, quod verba præ se ferunt, eum, qui dubitat de baptismo, non esse baptizandum sub hac forma, *si non es baptizatus, ego te baptizo*, vereor ne imprudens prolapsus fuerit in damnatam ab Alexandro 3. sententiam. Casus enim ipsissimus decisus est capitulo 2. ✠ de Baptismo his verbis: *de quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur* (aliàs *baptizentur*) *his verbis præmissis: si baptizatus es, non te baptizo: sed* SI NONDUM BAPTIZATUS ES, EGO TE BAPTIZO &c. Ubi ipsissima verba, quæ impugnat Caramuel, usurpanda præscribit Alexander tertius.

Quare

Quare à veritate alienum eſt, quod per formam conditionatam *non perficiatur certum ſacramentum*, alioqui non foret licitum adhibere formam conditionatam, contra deciſionem Alexandri 3. Ritualia, & praxim totius eccleſiæ, quæ formam conditionatam ſubinde adhibet, eamque in matrimonio, ſi conditio ſit honeſta, & poſſibilis & de præterito, ſolet ratam habere.

IX. Ut autem appareat, quàm parum ſibi conſtet Caramuel, profero ejuſdem diſcurſum, quem pagina 658. paulò ante præmiſerat. *Venit ad meos pedes Franciſcus vir probus, catholicuſque & ſic ait: nihil mihi conſcius ſum, at quia in hoc non juſtificatus ſum, ſi poſt ultimam confeſſionem peccavi, ego me accuſo. Quæritur an non poſſim dicere ſi peccaſti, ego te abſolvo? hoc caſu poſito*, quærit ulteriùs an non poſſit cōditionatè abſolvi hæreticus, qui ſic confitetur: *confeſſionem auricularem eſſe neceſſariam, aut utilem invincibiliter ignoro; ſi ſcirem eam eſſe neceſſariam, eam peterem; & ſi de facto eſt neceſſaria, de facto confiteri volo?* Denique quærit, an non omnes hæreticos materiales abſolvere poterit ſub eadem conditione: *ſi placeat Deo?*

Poſtquam talia, tamque ſingularia dixit de forma conditionata abſolutionis, quem non teneat admiratio, quod inferiùs paucis poſt paginis tractans idem fundamentum 66, dicat, quod hâc formâ conditionatâ: *ſi verè peccaſti ego te abſolvo, non conficitur ſacramentum certum, quod deleat peccatum dubium?* Quid? quod pagina 659. approbat

bat hanc ab Homo-bono relatam Clementis octavi formam : *si es capax*, *absolvo te à peccatis tuis*: quid igitur (malum!)est,quod eamdem in peccatis dubijs improbet?

X. Neque verum est , quod *absolutio conditionata, non sit certa absolutio, sed fortassis erit*: quia conditio non est de futuro incerto , sed de præterito , quod certo certiùs fuit, vel non fuit. Et idcircò in similibus effectus non suspenditur , prout benè Panormitanus ad citatum cap. de quibus dubium est ✠ de baptismo , quod probat ex lege 37. ff. de rebus creditis, in qua habes: *cùm ad præsens tempus conditio confertur stipulatio non suspenditur. Et si conditio vera sit, stipulatio tenet, quamvis tenere contrahentes conditionem ignorent. Veluti, si Rex Parthorum vivit. Eadem sunt, cùm & in præteritum conditio confertur.*

Imò glossa in dictam legem observat,quod *non sit conditio, quæ in præteritum, vel præsens confertur*, quod varijs legibus cõfirmat, & Panormitanus loco citato approbat, dicens,quod in baptismo sub conditione dato,*non est propriè conditio, cùm sit de præterito. Non enim suspendit actum, quia certum est naturæ, utrum fuerit baptizatus.* Quamquam de nomine videatur ea quæstio, sitne vocanda, vel non vocanda conditio: rectiùs fortassis diceretur, quod vim, & potestatem conditionis tali casu non obtineat, juxta illud Papiniani l. 39. ff. suprà: *itaque tunc potestatem conditionis obtinet, cùm in futurum confertur.* Conditio enim de præsenti, vel præterito perdit suam vim, eò quod non suspendat actum. Addo

XI. Addo non esse etiam improbabilem tertiam solutionem, cujus non meminit Caramuel, quod peccato dubio possit impendi absolutio sine conditione, prout in simili docet P. Vasquez[a] & Gerson sermone de pœnitentia: *in dubijs sub conditione confitendum est: & potest certa absolutio dari.* Et certè baptismum in dubio sine ulla conditione rursùs collatum fuisse antiquitùs, facilè posset probari, nisi egregiè id præstitisset Ioannes Morinus lib. 10. de pœnit. cap. 12. [b]

[a] in 3. p. q. 19. a 2 dub. 1. n. 39.

[b] p. 747.

CAPUT SEPTIMUM.

Respondetur argumento ex prætensa possessione libertatis agendi desumpto.

I. ALiud Caramuelis argumentum nititur axiomate multis hoc tempore familiari, quod scilicet *in dubio melior sit conditio possidentis libertatem agendi.* Quod quidem *principium*, ut vocat, [a] *practicum*, tanti momenti esse existimat Caramuel, ut in prologo dicat: [b] *in dubiorum tenebris & caligine est pharos illa regula: beatus, qui possidet.* Unde in responso ad objectionem 8. [c] docet, quod *ille, qui dubitat, an incurrerit excommunicationem, ad nihil obligetur, quia melior est conditio possidentis suam libertatem.* Et similiter docet, quod in dubio, an quis commiserit crimen mortale, quia melior est conditio possidentis libertatem, ad nihil obligatur. Cujus argumentationis pondus lubet sequentibus expendere.

[a] p 694.

[b] pag. 4.

[c] p. 697.

§. 1. Vtrum,

§. I.

Vtrum, axioma illud, MELIOR EST CONDITIO POSSIDENTIS, *possit assumi pro principio practico in moralibus, eò quod* MELIOR SIT CONDITIO POSSIDENTIS LIBERTATEM AGENDI?

II. AFfirmant plurimi hoc tempore, & eo principio practico, velut novaculâ quâdam plurimas abradunt agendi obligationes, imò & peccata. Uerùm timendum est, ne novacula illa acuta faciat dolum, quandoquidem principium illud practicum Majoribus nostris ignotum fuerit, & Pontifices in suis decisionibus soleant planè diverso principio niti, scilicet, quod *in dubijs tutior via sit eligenda*, prout ostendimus cap. 4. num. 17.

Dico igitur principium illud practicum: *melior est conditio possidentis suam libertatem agendi*, nisi aliter, quàm solet explicetur, inutile esse, meramque principij petitionem, ut loquuntur, continere. Quæro enim, quid sit possidere libertatem agendi? quid aliud, obsecro, quàm posse liberè agere? quid enim est possidere libertatem ambulandi, currendi, pugnandi &c. nisi posse liberè ambulare, currere, pugnare &c.

Quare cùm ità argumentantur: pœnitens possidet libertatem non agendi, non confitendi &c. perinde est, ac si dicerent: pœnitens potest liberè non agere, potest non confiteri &c. Ubi pro concesso sumitur, quod priùs probandum fuerat. Igitur

Igitur, cùm pervulgato illo axiomate idem per idem probetur, non videtur appositè tamquam principium practicum assumi. Et quod præsentem materiam attinet, probanti, quod pœnitens non obligetur confiteri mortalia dubia, quia possidet libertatem non confitendi, respondemus vitiosum esse circulum, & idem per idem probari. Siquidem probandum est, quod posito dubio de mortali commisso, maneat possessio libertatis non confitendi. Hoc enim non tantùm negamus, verùm etiam falsissimum esse evidenter ostendimus paragrapho sequenti.

§. 2.

Probatur varijs exemplis, eum, qui dubitat, non semper possidere libertatem agendi vel non agendi. Retorquetur argumentum, & posita à nobis conclusio firmatur.

III. Triumphare sibi videtur Caramuel, dum ex dubitatione, an peccatum mortale commissum sit, infert possessionem libertatis confitendi, vel non confitendi mortale dubium. Verum vanus est triumphus & ante victoriam.

Innumeris enim exemplis ostendi potest, non esse universè verùm, quod in dubio permaneat & possideatur eadem, quæ priùs, libertas agendi vel non agendi. Pauca, eaque familiariora exempla subjungo.

Pone imprimis hominem christianum, æternæ vitæ desiderio flagrantem prudenter dubitare & vereri, nè quem possidere desiderat, mortifero peccato Deum suum offenderit: quæro, an priorem possidebit non pœnitendi libertatem? poterit ille eâdem quâ priùs conscientiæ tranquillitate vivere? poterit ille non dolere? non conteri? non saltem atteri? poterit fortunæ, dubioque eventui momentosum æternæ suæ salutis negotium, aleamque committere?

Item finge venatorem seriò moneri à circumstantibus, dubium & incertum esse, Pater sit, an fera, quod in sœpibus latens telo configere meditatur, animal: possidebit ille eamdem jaculandi libertatem? non erit inhumanus? non crudelis? non parricida, si perrexerit, & telum in animal sœpibus latens direxerit?

Item finge in tempestate dubium esse & periculum ne navis submergatur, nisi merces in mare projiciantur: licebitne uti possessione libertatis, & merces in mare non projicere?

Item finge viatori in bivio constituto, certum à dextris, dubium & incertum à sinistris iter proponi: possidebit ille priorem à sinistris eundi libertatem?

Item fac infirmum dubitare & non de nihilo timere ne peste vel calculo laboret: fac eumdem posse nullo negotio pestem vel calculum pharmaco depellere: peto, an priorem possidebit infirmus non medendi libertatem?

tem? peto, an prudenter poterit in hoc dubio conditionem possidentis meliorem reputare, & pestem vel calculum posteà futurum periculosiorem non depellere?

Item fac rursùm duci exercitus ab hostibus remoto, dubium & incertum fieri, an hostis cum exercitu valido immineat: scire velim, an possidebit eamdem, quàm priùs habebat, dum hostem abesse constabat, securè agendi libertatem? poteritne de rei veritate non inquirere? vigiles præter morem non constituere, totique exercitui non aliter, quàm anteà soleret, invigilare?

Item fac ipsum D. Caramuelem seriò dubitare, & non inaniter timere ne sit hæretica, quam tradit discipulis, doctrina: rogo, an priorem possidebit doctrinam illam tradendi libertatem?

Denique familiare hoc exemplum propono. Fingamus D. Caramuelem tranquillum esse cum amicis convivam: ceterùm subitò, seriòque moneri ab amicis, dubitationem, & in utramque partem verisimiles conjecturas esse, quòd saga escam, potumq; convivalem infecerit: quæro, quid hîc facturus Caramuel? an jactabit prioris libertatis possessionem? An eâdem, quâ priùs, animi tranquillitate prandebit? appositam escam securè comedet? oblatum potum securè bibet?

Fingamus insuper D. Caramueli propter exortam ventriculi perturbationem, dubium fieri, utrùm pestiferum virus intrò sumpserit: quid hîc dicturi sumus? privilegiò

possessæ in dubio libertatis usurum? tranquillo animo futurum? de remedio, aut antidoto non prospecturum? credite posteri.

Atque hæc sufficere existimo, ut constet non solâ certitudine, verùm etiam rationali dubio accedente, priorem agendi vel non agendi libertatem auferri, & prætensam possessionem deperdi. Ac propterea principium illud practicum, *in dubio melior est conditio possidentis libertatem agendi*, seipsum evertere & perimere: assumit enim pro fundamento & veritate concessa in dubio possideri libertatem agendi, vel non agendi & propterea possidentis conditionem esse meliorem, cùm interim falsissimum sit in dubio permanere & possideri libertatem agendi, vel non agendi, prout manifestè jam probavimus.

Ex quo inopinatum illud & inexpectatum deducimus corollarium, scilicet conclusionem à nobis positam non modò non infirmari allegato axiomate, verùm è diverso evidenter probari ejusdem confutatione. Quippe ex dictis nascitur efficax hujusmodi argumentum: in dubio non possidetur, sed perditur prior libertas agendi, vel non agendi, prout manifestum est ex dictis. Ergo in dubio de peccato mortali commisso non possidetur, sed perditur prior libertas confitendi vel non confitendi, ac proinde sic dubitanti non est integrum non confiteri.

§. 3. *Præ-*

§. 3.

Præceptum potiùs dicendum esse possidere. Impropriè hic dici possessionem. Conditionem possidentis meliorem esse in materia justitiæ. Non esse hic dubium de obligatione confitendi, sed de peccato commisso.

IV. ALiter responderi potest oppositæ argumentationi, etiam concesso, quod axioma illud vulgare: *melior est conditio possidentis*, veritatem obtineat in foro interno & ab externo non dependente. Nimirum dici potest, quod in dubio de quo agitur, possessio potius adjudicari debeat præcepto divino, & praxi ecclesiæ de peccatis mortalibus dubijs in confessione exponendis, quàm libertati agendi vel non agendi. Iam enim suprà multis probavimus extare præceptum divinum de peccatis mortalibus in confessione explicandis: & cap. 4. §. 2. praxi ecclesiæ & communi sensu fidelium eamdem veritatem stabilivimus. Quo titulo igitur præceptum divinum obligationis suæ possessione spoliabimus? Ante Lutheri tempora nemo dubitabat, aut in controversiam vertebat, forentne mortalia dubia in confessione declaranda: omnes uno ore affirmabant, & in praxi observabant: quid autem aliud est præceptum possidere vim obligandi, quàm communi fidelium praxi observari? præceptum itaque possidebat vim obligandi, si tamen possessio, hîc admittenda est: ut quid igitur hâc possessione per Lutherum, aliosque poterit justè spoliari?

Ceterum pro perfecta argumenti propositi solutione & intelligentia, nonulla lubet in præsenti animadvertere, quæ proposito nostro deserviant.

V. Primum est, impropriam esse & tropicam locutionem, quâ præceptum divinum dicitur possidere vim obligandi, & homo ipse dicitur possidere libertatem agendi; vel non agendi. Nam juxta Jurisconsultos, possessio,

a connan l 3.cap.9 num. 1.

[a] *& proprietas mutuo sese nexu complectuntur, alterumque alterius causam sequitur, ità ut destinatione animi ejus, qui alterùm habet, non separentur. Nam qui rem possidet, ejus est, aut vult esse dominus: nec aliud est possessio, quàm usus rei competens ratione veri, aut sperati dominij, certumque est neminem esse possessorem, qui non idem dominus sit, aut verè, aut sanè voluntate.*

Quæ omnia non obtinent veritatem in præsenti negotio. Præceptum enim non est capax veri, aut sperati per voluntatem dominij, neque homo dicitur habere verum, aut speratum dominium respectu libertatis agendi, vel non agendi.

Crediderim itaque cùm dicitur præceptum possidere vim obligandi, vel homo libertatem agendi, vocem *possidere*, æquivalere voci *habere*, vel *obtinere*. In hac enim

b Prov: 4. vers. 5.

significatione videtur loqui Salomon [b] quandò dicit: *possìde sapientiam, possìde prudentiam*. Et ipse Pater eloquentiæ nonnunquàm hoc sensu loquitur, ut quandò

c pro sex. Rosc. pag. 21.

dicit, [c] *magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religio-*

religionem paternus, maternusque sanguis. Quapropter cùm dicitur præceptum divinum possidere vim obligandi, vel homo ipse possidere libertatem agendi, nihil aliud significabitur quàm quod præceptum divinum habeat, vel obtineat vim obligandi, vel homo ipse habeat, vel obtineat libertatem agendi &c.

VI. Alterum est, plurimos authores in ea esse sententia, quòd possidentis conditio non sit melior nisi in materia justitiæ, in alijs tutiorem viam eligendam esse. Ità sentiunt D. Thomas in 4. d. 38. q. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 6. Azor. tom. 1. l. 2. instit. moral. cap. 19. qu. 10. Vasquez. disp. 65. cap. 3. & 66. cap. 31. & Basilius noster Legionensis lib. 10. de Ordine cap. 15. Pro qua sententia citantur etiam juris canonici Interpretes Hostiensis, Panormitanus & alij, sed illi videntur mihi nonnihil aliter sentire: nimirùm quòd generalis hæc regula: *in dubijs tutior via est eligenda*, veritatem obtineat in foro interno: & ex consequenti, quòd opposita: *in dubio melior est conditio possidentis*, veritatem tantùm obtineat in foro externo, & ijs quæ à foro externo pendent. De cujus doctrinæ veritate statuere non est hujus loci. Ceterùm in utraque sententia propositum argumentum ruit funditùs, quia neque versamur in materia justitiæ, neque agitur de foro externo, vel ijs quæ à foro externo pendent, sed de foro interno & tribunali conscientiæ.

7. Postre-

VII. Postremum est, quod in præsenti duplex considerari possit dubitatio: una de peccato mortali commisso, altera de obligatione confitendi mortale dubium.

Potest enim Petrus dubitare, an peccatum mortale commiserit? potest item dubitare, an obligetur confiteri peccatum illud mortale dubium? quæ duo accuratè discernenda sunt, sicut in familiari exemplo plurimùm differunt, quòd Petrus dubitet & timeat ne in febrim periculosam inciderit? item, quòd dubitet, an hujusmodi dubitatio declarari debeat medico? prima enim dubitatio prudentiæ plena est, altera imprudentiæ.

Potest itaque dici, quòd in præsenti dubitatio quidem habeatur de peccato mortali commisso, nulla tamen sit dubitatio de obligatione peccatum illud dubium confitendi, sed potiùs certitudo, prout probatum fuit capite 2. 3. & 4. Quandò autem dicitur meliorem esse conditionem possidentis libertatem, dici potest regulam illam non obtinere, nisi quandò dubitatur prudenter de ipsâ obligatione. Ubi enim certa & indubitata est obligatio confitendi, tollitur & perit possessio libertatis non confitendi. Quemadmodum ubi est certa & indubitata obligatio medicinam abhibendi dubio vulneri, tollitur & perit tota possessio libertatis medicinam non adhibendi.

Ex quibus patet, quàm inane sit palmarium Caramuelis argumentum ex possessione libertatis petitum.

CAP. 8.

CAPUT OCTAVUM.

Respondetur argumento desumpto ex probabili opinione peccati mortalis in dubio non commissi.

I. ALio velut cornu nos impetit Caramuel fretus, & munitus receptâ à multis doctrinâ, quod licitum sit sequi opinionem, etiam minùs probabilem, ac proinde, quod licitum sit non confiteri, quandò etiam minùs probabile est, peccatum mortale dubium à nobis non esse commissum. Operæ-pretium erit illum audire statuentem hoc tertium suum protheorema: [a] *qui subscribens communi theologorum sententiæ asseruerit esse tutum sequi opinionem etiam minùs probabilem, aut inconsequentiâ laboraturus, aut dicturus peccata, quæ commissa fuisse aut non fuisse probabile est, non esse in confessione necessariò explicanda, sed posse pœnitentem alterutri parti subscribere & sequi suum arbitrium, nimirùm vel judicando esse commissa & confitendo; vel judicando non esse commissa & non confitendo.* Quid ità? *quia aliàs falsum esset, quidquid de probabilitate à viris sanctissimis & doctissimis benignè scribitur.* [a] pag. 674.

Huic argumento non una, nec probabilis modò, sed etiam efficax responsio adferri potest. Juvabit singulas examinare, breviter tamen, & cursim, neque enim animus est totam de probabilitate controversam hoc tempore doctrinam tractare, sed ea tantùm, quæ propositæ disquisitioni explicandæ deservient.

§. I.

Sitne generaliter & universè verum, quod licitum sit dirigere conscientiam ex præscripto opinionis, etiam minùs probabilis?

II. Multi hoc tempore affirmant, verùm plurima sunt, quæ pridem mihi persuaserunt, ut in oppositam, tutioremque sententiam discederem.

E multis pauca seligam & lectori considerando proponam.

III. Primò. Frequenter contingit, quòd opinio probabilior, sit in foro conscientiæ tutior & securior. Ergo saltem tum non licebit dirigere conscientiam ex præscripto opinionis minùs probabilis, quia in dubio tutior via est eligenda, prout probatum est capite 4. numero 17.

a cap. 7. § 2. n. 3.

IV. Secundò. Pleraq; exempla, quibus suprà [a] evicimus in dubio non manere libertatem agendi, vel non agendi, illud ipsum evidenter persuadent. Quid si enim venatori probabilius sit Patrem in sœpibus latere, & minùs probabile sit feram latere: eritne integrum venatori, insistere opinioni minùs probabili, & in sœpes mortiferum telum dirigere? Idem de naufrago, viatore in bivio constituto, infirmo, duce exercitûs, quin & ipso Caramuele dici & probari potest. Siquidem, fingamus animo probabilius esse craterem veneno imbutum esse, minùs autem probabile idcircò oppositum: eritne Caramueli integrum & licitum opinioni minùs probabili insistere, & craterem epotare?

5. Ter-

V. Tertiò. Opposita sententia est probabilior, prout concedit Caramuel, & authores, à quibus dissentimus: ergo, qui conscientiam dirigit ex præscripto opinionis minùs probabilis exponit se probabiliori periculo peccando & nonnunquam damnationis æternæ, & licèt Caramuel alicubi doceat citans Dianam [a], licitum esse exponere se probabili periculo peccandi, & damnationis æternæ, existimo tamen horribile esse id audire, horribilius asserere, nec opus esse alio ad hujusmodi doctrinam confutandam, quàm propriæ uniuscujusque conscientiæ testimonio.

[a] pag. 147.

Hoc autem consequens esse, ostenditur, quia si reverà non esset ullum periculum peccandi, vel subinde æternæ damnationis incurrendæ, opposita sententia non posset dici probabilior, sed falsa, asserit enim esse periculum peccandi, & æternæ damnationis incurrendæ, quod nullum subesset, si opinio minùs probabilis totum periculum abstergeret.

Quæro igitur, an positâ opinione probabili certum sit esse, an potiùs non esse periculum peccandi & æternæ damnationis? si dixeris certum esse quod nullum sit periculum peccandi, & æternæ damnationis, ergo certum est oppositam opinionem non jam esse probabiliorem, sed certò falsam. Si dixeris esse periculum peccandi & æternæ damnationis: ergo jam licitum est exponere se probabili periculo peccandi & æternæ dam-

nationis, quod erat probandum, & manifestè pugnat cum hac ſcriptura [a]: *qui amat periculum, peribit in illo.*

[a] Eccl. 3.

VI. Quartò. Ut quis operetur licitè, debet eſſe moraliter certus, quod non peccet, neque ſufficit, quòd homo probabiliter putet ſe non peccare, quia maneret verùm, quòd probabiliter peccaret, ac per conſequens, quòd reverà peccaret: jam verò, qui dirigit conſcientiam ex præſcripto opinionis minùs probabilis, non eſt moraliter certus, quod non peccet: ſiquidem regula ex cujus præſcripto agit, ſcilicet, quod *licitum ſit dirigere conſcientiam ex præſcripto opinionis minùs probabilis*, valdè incerta eſt, à multis prudentibus negatur, & habet ſibi reſiſtentem opinionem probabiliorē. Quare in hoc ſyllogiſmo:

Non peccat qui dirigit conſcientiam ex præſcripto opinionis minùs probabilis,

Sed Petrus dirigit conſcientiam ex præſcripto opinionis minùs probabilis,

Ergo Petrus non peccat,

conſequens eſt incertum, & ad ſummum probabile, quia antecedens ex quo infertur, *non peccat &c.* eſt incertum & ad ſummum probabile, ergo idem ſentiendum eſt de conſequente.

VII. At, inquies, prudens eſſe judicium, in quo nititur probabilis opinio: quis autem vitio mihi vertat, ſi conſcientiam dirigam ex præſcripto prudentis judicij?

Verùm

Verùm hoc argumento probaretur in omnibus exemplis ante allegatis [a], licitum fore opinioni minùs probabili insistere, quod jam confutatum est. Siquidem prudens est judicium, quo minùs probabiliter mihi asseritur craterem veneno imbutum non esse: nec tamen propterea mihi integrum est probabilius, & prudentius judicium negligere, & craterem epotare.

[a] cap. 7. num. 3.

Unde dico, verum quidem esse, quod licitum sit ex prescripto prudentis judicis conscientiam dirigere, quandò non resistit aliud ęquè prudens aut prudentius oppositum judicium, quod prævalet & præponderat: tum enim prudentius illud judicium negligere, nemo non vertet vitio & imprudentiæ.

VIII. Prætereà, duplex hîc considerari potest, & debet prudens judicium, eo ferè modo, quo suprà [b] consideravimus duplicem dubitationem. Unum enim judicium est de rei veritate, exempli causâ, quod vinum congelatū sit materia consecrationis, & hoc judicium vocari potest *speculativum*: aliud judicium est de libertate, seu de facultate & licentia agendi, vel non agendi, exempli causâ, quod licitum sit vinum congelatum consecrare, & hoc judicium vocari potest *practicum*. Quare dico, quod in præsenti negotio licet primum judicium speculativum de rei veritate, scilicet de peccato mortali non commisso, sit prudens, falsum tamen est, quod judicium practicum de libertate, seu facultate non agendi, scilicet de li-

[b] Ibidem nu. 7.

centia non confitendi mortale dubium, sit prudẽs, quia, ut declaravimus, potest esse judicium prudens & probabile de rei veritate, quamvis non sit judicium prudens & probabile de facultate & licentia agendi, vel non agendi. Quod iterùm ostendi potest in ægro, vel vulnerato, qui licet prudenter judicet se non habere morbum, vel vulnus mortiferum, tamen, si sit oppositum judicium prudentius, vel probabilius, quo existimetur habere morbum vel vulnus mortiferum, non poterit prudenter judicare, se habere libertatem & facultatem non accersendi, vel consulendi medicum. Quorsùm igitur idipsum non pronuntiabitur de eo, qui probabiliter quidem & prudenter judicat se non habere morbum vel vulnus animæ mortiferum, si interim probabiliùs & prudentiùs judicet se habere morbum, vel vulnus animæ mortiferum? siquidem non minor est necessitas vitam spiritualem & æternam procurandi, vel conservandi, quàm corporalem & transitoriam.

§. 2.

Saltem in administratione, vel susceptione sacramentorum non esse licitum extra casum necessitatis opinioni minùs probabili insistere neglectâ probabiliori & tutiori.

IX. OStensum est paragrapho præcedente non esse generaliter & universè verum, quod licitum sit conscientiam suam dirigere ex præscripto opinionis minùs

minùs probabilis, quod tamen ità debet intelligi, ut non negemus ſubinde licitum eſſe minùs probabili opinioni inſiſtere, ſed tantùm velimus id non obtinere ſemper & quolibet caſu. Lubet modò oſtendere, quod in præſenti quâ verſamur quæſtione, non ſit licitum opinioni minùs probabili inſiſtere, & eorum, de quibus probabiliter dubitatur, mortalium confeſſionem negligere.

Ratio autem facilis eſt, quia in præſenti caſu agitur de ſuſceptione ſacramenti pœnitentiæ, communis autem & ſana doctrina negat in ſuſceptione vel adminiſtratione ſacramentorum licitum eſſe ad minùs probabilem ſententiam ſeſe conformare. Unde licet admodum probabile ſit valere baptiſmum datum in nomine genitoris, geniti & ſpirati: item, quod vinum congelatum validè conſecretur: tamen theologi jure merito negant licitum eſſe, vel prædictâ formâ baptizare, vel vinum congelatum conſecrare.

X. Solent autem doctrinam illam plerique probare ex Auguſtino lib. 1. de baptiſmo cap. 3. [a] vbi proponit ſibi Donatiſtam incipientem converti, & pro certo habentem apud catholicos rectè dari baptiſmum, dubitantem autem & pro incerto habentem utrum rectè detur apud Donatiſtas, & ità concludit: *quamquam etiamſi dubium haberet, non illic rectè accipi, quod in eccleſia catholica rectè accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo, quod* CERTIS INCERTA

[a] tom. 7. pag 33.

PRÆPO-

PRÆPONERET. Et paulò post: *incertis certa præponendo hìc baptizetur*: & cap. 5. [a] *accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum: quis dubitet certum esse peccatum, non ibi potiùs accipere, ubi certum est non esse peccatum?*

a pag. 34.

Quod ipsum etiam probari potest ex eo, quod idem Augustinus libro de fide & oper. nullo modo velit permittere, ut celebrentur matrimonia, de quibus dubium & incertum est, an sint legitima: [b] *quamobrem*, inquit, *quæ manifesta sunt impudentiæ crimina omnimodò à baptismo prohibenda sunt: quæ autem dubia omnimodò conandum est, ne fiant tales conjunctiones*. Et rationem subjungit: *quid enim opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere?*

b tom. 4. cap. 19. pag. 33.

Ob eamdem rationem dicit ibidem se nescire utrum sic contrahentes ad baptismum debeant admitti: *si autem*, inquit, *factæ fuerint*, (tales conjunctiones) *nescio utrum ij, qui fecerint, similiter ad baptismum non debere videantur admitti.*

XI. Denique in ejusdem veritatis confirmationem adferri potest perpetua & constans praxis ecclesiæ, quæ præterquam in casu necessitatis non permittit administrantem, vel suscipientem sacramenta adhibere materiam vel formam dubiam & minùs probabilem, neglectâ certâ & infallibili.

Permisit quidem nonunquam ecclesia dubium & nonnisi probabiliter validum sacramentum ministrari, sed non nisi premente necessitate, & in præsenti salutis

ſalutis periculo, cùm ſacramentum certum adminiſtrari non poteſt. [a] Ità S. Auguſtinus lib. 1. de adult. conjug. docet baptiſmum nonniſi probabiliter & ſub dubio validum poſſe adminiſtrari catechumenis, *quorum voluntas incerta eſt*, ac proinde quandò incertum eſt, an ſubſiſtet ſacramentum: non tamen admittit hoc poſſe fieri quolibet caſu, ſed dumtaxat, ſi fuerint *in hujus vitæ ultimo conſtituti, ſi morbo ſeu caſu aliquo ſic oppreſſi ſint, ut quamvis adhuc vivant, petere ſibi tamen baptiſmum, vel ad interrogata reſpondere non poſſint*. Et infrà cap. 28. *ego*, inquit, *non ſolùm alios catechumenos, verùm etiam ipſos, qui vivendum conjugijs copulati retinent adulterina conjugia, cùm ſalvos corpore in his permanentes non admittamus ad baptiſmum, tamen ſi deſperati & intra ſe pœnitentes jacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto*. Ubi patet Auguſtinum velle, quidem baptiſmus dubius & probabiliter certus, catechumenis adminiſtretur, ſed non niſi in periculo vitæ & caſu neceſſitatis, aliàs, inquit, *ſalvos corpore non admittimus ad baptiſmum*. a tom. 6. cap. 26. pag. 314.

Unde poſtmodùm idem concedit in ſacramento pœnitentiæ, his verbis: *quæ autem baptiſmatis, eadem reconciliationis eſt cauſa*: ſed ſubjungit hanc cautionem: *ſi fortè pœnitentē* FINIENDÆ VITÆ PERICULUM PRÆOCCUPAVERIT. Non conceſſurus, ſi nullũ fuerit finiẽdę vitę periculum.

Sic etiam S. Leo [b] cum ſynodali cœtu docet baptiſmum dubium & nonniſi probabiliter validum adminiſtran- b epiſt. 37. c. 1. & 2. col. 350.

ſtrandum eſſe, ſed dumtaxat in caſu neceſſitatis & dum certitudo haberi non poteſt, *ne dum plus juſto metuitur, miſericordia Dei ſalvari cupientibus denegetur.*

§. 3.

Obligatio adhibendi materiam vel formam certam in adminiſtratione vel ſuſceptione ſacramentorum non provenit ex ſolo charitatis erga proximum officio, verùm etiam religionis in Deum.

XII. MAnifeſtum eſt ex ijs, quæ ſuperiùs dicta ſunt, non eſſe licitum in adminiſtratione, vel ſuſceptione ſacramentorum opinioni minùs probabili fidere, & ſecuram, tutamque probabiliorem negligere, ac propterea in confeſſione non eſſe licitum opinioni illi minùs probabili inſiſtere, quod peccatum mortale dubium non ſit commiſſum.

Sed quæſtio vertitur inter theologos, utrum, qui in adminiſtratione ſacramentorum opinioni minùs probabili inſiſtit, peccet contra ſolam charitatem, ſive miſericordiam quâ debet proximo indigenti remedium adhibere, an inſuper etiam adversùm virtutem religionis, eò quod indignè videatur tractare ſacramentum, qui deditâ operâ exponit ſe probabili periculo ſacramentum non conficiendi.

Non deſunt enim magni nominis authores, qui exiſtiment, quod ſi non obſtet eccleſiæ uſus & conſuetudo

recepta,

recepta, & ſit varietas opinionum probabilium, ſive circa materiam, ſive circa formam, licitum eſſe ſequi opinionem probabilem , & ex illa colligere judicium conſcientiæ , quod liceat ità adminiſtrare ſacramentum, etiam pro parte minùs tuta, in qua poteſt eſſe periculum efficiendi irritum ſacramentum, aut effectum illius.

XIII. Verùm mirari lubet, quid authores illos in eam perducere potuerit ſententiam, cùm unicuique ſtatim occurrat, non ſatis reverenter de ſacramentis ſentire, qui datâ operâ voluerit ſacro-ſancta illa ſigna probabili periculo falſitatis exponere.

Quare omninò exiſtimo, reum eſſe, non modò violatæ fraternæ charitatis, verùm etiam debitæ erga Deum & res ſacras, religionis, qui per ſe, ac ſuâ ſponte in adminiſtrandis, vel ſuſcipiendis ſacramentis opinionem probabilem ſectatur , certamque & nulli periculo obnoxiam prætermittit. Variæ ſunt hujus rei rationes.

XIV. Prima ratio petitur, ex eo quod Chriſtus Dominus ſit principalis miniſter ſacramenti, in cujus perſona & nomine adminiſtratur ſacramentum, homo autem non ſit niſi vicarius Chriſti miniſter, ejuſque perſonam ſuſtinens : quæro enim, an ſatis reverenter Chriſti perſonam ſuſtineat, qui verba ejus nomine prolata, per ſe & ſponte, probabili falſitatis periculo exponit ?

Pone Legatum Regis nomine ſeriò loqui & publicum ſermonem habere: ſatiſne reverenter perſonam Re-

gis subſtinebit, ſi verba ejus nomine prolata, ſponte & ultrò, veriſimili falſitatis periculo ſubjiciat? quid igitur dicendum de illo, qui Chriſti nomine pronuntiat: *hoc eſt Corpus meum*? poterit ille, vel ipſis Angelis tremenda illa verba ſine deſpectu ſupremæ illius majeſtatis, cujus perſonam ſuſtinet, in diſcrimen & periculum falſitatis ſponte adducere? Quid à prima, ſummaque veritate magis alienum, quàm tale falſitatis periculum?

Vehementer aſſentior Auguſtino dicenti, quod in ſacramentorum adminiſtratione Chriſtus ſit judex, miniſter præco: *quid*, inquit, [a] *te impedit malitioſus præco, ubi benevolus eſt judex*? ſed & huic veritati vehementer aſſentior, quod non reverebitur, ut par eſt, perſonam judicis præco, qui ſponte, cùm poteſt certiſſimam, periculo falſitatis obnoxiam judicis nomine promulgat ſententiam. Idem dic de miniſtro ſacramenti.

[a] tract. 5. in Ioan. tom 9. pag. 18.

Obſervari itaque debuerat, quod vice, nomine & in perſona Chriſti miniſtretur ſacramentum, quodque non noſtrum tantùm, ſed potiſſimè Chriſti agatur negotium: cujus verba falſitatis periculo nequidquàm ſubjicere, quid eſt aliud, quàm ejus perſonæ illudere?

XV. Negabis fortè, quod ſacramentum adminiſtretur in perſona Chriſti, & dices ſufficere quod authoritate & virtute Chriſti agatur, quidquid in ſacramentis agitur, quamvis ejus perſonam miniſter non ſuſtineat.

Sed hæc reſponſio nullo negotio confutatur. Imprimis

mis enim ab homine catholico negari non poteſt, in conſecratione Euchariſtię miniſtrum, Chriſti perſonam ſuſtinere: diſertè enim florentinum in decreto unionis aſſerit, *quod ſacerdos* IN PERSONA *Chriſti loquens hoc conficit ſacramentum.* Quod ipſum anteà docuerat Ambroſius lib. 4. de ſacramentis [a] dicens: *ubi venitur, ut conficiatur venerabile ſacramentum, jam non ſuis ſermonibus ſacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti.* Et lib. de ijs, qui initiantur [b]: *ſacramentum iſtud, quod accipis, Chriſti ſermone conficitur.*

a cap. 4. p. 335

b cap. 9. p. 331.

De ſacramento baptiſmi etiam probatur ex illis verbis Ioannis de Chriſto: [c] HIC EST, QUI BAPTIZAT, quæ verba frequentiſſimè inculcat Auguſtinus, dum pugnat adverſus Donatiſtas, inde probans Chriſtum eſſe principalem miniſtrum baptiſmi, & effectum baptiſmi non pendere à probitate miniſtri: *Petrus*, inquit, [d] *baptizet, hic eſt, qui baptizat: Paulus baptizet, hic eſt, qui baptizat: Iudas baptizet, hic eſt, qui baptizat.* Et anteà: [e] *quid non noverat* Ioannes? *tantam poteſtatem baptiſmatis Dominum habiturum & ſibi retenturum, ſive præſentem in terra, ſive abſentem corpore in cœlo & præſentem majeſtate ſibi retenturum baptiſmatis poteſtatem: ne Paulus diceret, baptiſmus meus: ne Petrus diceret, baptiſmus meus.* Quia ſcilicet Chriſtus eſt in cujus nomine & perſona baptiſmus à quocumque miniſtro confertur.

c cap. 1. verſ. 33.

d tom. 9. tract. 6. in Ioan. pag. 22.

e tract. 5. pag. 18.

Subjungit autem verba, quæ rem conficiunt: *ideò videte & intendite voces Apoſtolorum. Nemo Apoſtolorum*

 dixit,

dixit, baptismus meus. Quamvis unum omnium esset Evangelium, tamen invenis dixisse Evangelium meum: non invenis dixisse baptisma meum. Hoc ergo didicit Ioannes, fratres mei. Quod si enim Christus diceretur baptizasse, eo dumtaxat nomine, quòd ejus authoritate & virtute administraretur sacramentum, quamvis minister, Christi personam non sustineret; sicut Apostoli dixerunt Evangelium meum, ità potuissent dicere baptisma meum, quandoquidem etiam Evangelium virtute & authoritate Christi per Apostolos operaretur, sicut juxta responsionem baptismus.

Similem argumentandi rationem nobis subministrat baptismus Joannis. Idcircò enim non erat baptismus Christi, quia non celebrabatur in nomine & persona Christi, quamvis interim virtute & authoritate Christi exerceretur. Nam, ut, docet Augustinus libro 5. de baptismo [a]: *servo* Joanni, *ut proprium* baptismum *dare posset, ipse* Christus *præstiterat*. Et iterum [b] *ex ejus* (Christi) *plenitudine acceperat* Joannes *baptizandi potestatem*. Denique inferiùs [c] tradit baptismum Joannis *à Christo concessum, non tamen Christi proprium*. Quare Christus dederat virtutem & authoritatem baptismo Joannis, cui præstiterat, & concesserat ex plenitudine gratiæ suæ, ut proprium baptismum dare posset, non erat tamen baptismus Christi proprius, quia non celebrabatur in nomine & persona Christi.

a cap. 9. pag. 59.
b cap. 13. pag. 61.
c cap. 15. ibidem.

Quod

Quod attinet ad alia ſacramenta, ſupervacaneum reputo ſpeciatim oſtendere, quòd vice & in nomine Chriſti adminiſtrentur: propterea, quod ratio Auguſtini pondus & robur ſuum obtineat in quolibet ſacramento. Siquidem, probare contendit adversùm Donatiſtas, quod effectus baptiſmi non pendeat à ſanctitate miniſtri, quia in Chriſti nomine & perſona baptiſmus confertur: ergo, cùm verum ſit, effectum ceterorum ſacramentorum etiam non pendere à ſanctitate miniſtri, conſequens erit, quod & reliqua omnia ſacramenta adminiſtrabuntur in nomine & perſona Chriſti. Et verò, ſicut ſcriptum eſt: *hic eſt, qui baptizat*, cur etiam admitti non debet: *hic eſt qui confirmat*: *hic eſt, qui abſolvit* &c?

Redeo itaque ad propoſitum argumentum, & iterum rogo, utrùm citra ſacrilegium, in nomine & perſona Chriſti ſine cauſſa ſeriò pronuntiari & aſſeri poſſint verba falſitati obnoxia? Rogo, Veritatis ipſius nomine prolatam vocem veriſimili falſitatis periculo offerre, quid aliud ſit, quàm ipſam Veritatem ludificari? ſacrilegus foret & impius, qui ſuper ligno vel lapide ſeriò pronuntiaret ter ſancta conſecrationis verba: quin igitur ejuſdem noxæ damnamus eum, qui ſuper materia dumtaxat probabili eadem verba pronuntiat? quid ſi enim materia dumtaxat probabilis, reapſe non magis conſecrari poſſit, quàm lignum, vel lapis? huic veriſimili periculo ſponte & deditâ operâ conſentire, & verba Chriſti falſitati

falsitati objicere, hoccine est animo religionem tenere? hoc est Christum revereri?

XVI. Secunda ratio, cum præcedente connexa, petitur ex eo, quod sacramenta non sint tantùm veneranda ratione Christi, cujus vice & nomine conferuntur, verùm etiam ratione sacratissimæ, quâ juxtà Augustinum, præpollent significationis. Siquidem magnæ irreverentiæ est sacro-sancta illa signa falsitatis periculo objicere, & sacratissimam eorum, divinitùs institutam significationem, cassam & inanem probabiliter reddere.

Quò spectat illud Augustini contra Faustum scribentis [a]: *sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimùm, & ideò contempta sacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas.* Etenim hanc sacramentorum vim inenarrabilem præsumitur contemnere, qui sacram illorum significationem, quæ præcipua sacramentorum virtus est, falsitatis periculo non veretur sponte exponere.

[a] l. 19. c. 11. tom. 6 pag. 145.

Quare non oportet hîc considerare sacramenta, ceu signa quædam prophana & indiscriminatim tractanda, verùm, ceu signa quædam sacrosancta, divina, & cœlestia, quæ sint vasa gratiæ, Christi sanguine & meritis stillantia, quæ efficaciter significent Spiritum S. cordibus suscipientium infundi, ac proptereà magna cum reverentia & cultu tractanda, quorum certè sacra significatio si falsitati & contemptui exponatur, ipsum

ſum quoque Chriſti ſanguinem & merita, ipſumque Spiritum ſanctum, quem præſentem ſignificant, eidem exponimus injuriæ.

Quocircà tanta fuit Majorum noſtrorum erga ſacramenta reverentia, tam eximia, tamque ſingularis veneratio, ut ipſa verba, quibus ſacramentum conficitur, ne ipſe quidem ſupremus Pontifex auderet ſcripto fidere, veritus periculum palam ea manifeſtandi & quodammodò dedecorandi.

Hinc Innocentius I. Decentio Eugubino epiſcopo reſcribit: [a] *verba verò dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quàm ad conſultationem reſpondere.* Et infrà agens de ſacramento extremæ unctionis: [b] *reliqua verò, quæ ſcribi fas non erat, quum adfueris, interrogati poterimus edicere.* Quod etiam generaliter de ordine tradit Dioniſius Areopagita, vel quiſquis author eſt libri de eccleſiaſtica Hierarchia: [c] *invocationes porrò conſecratorias nefas eſt ſcripto interpretari & arcanum earum ſenſum, virtutemque, quas in ijs Deus operatur è ſecreto in publicum efferre: ſed ut noſtra ſacroſancta traditio docet &c.*

[a] tom. 1. conc. pag 609. n. 3.

[b] ibidem num. 8.

[c] cap. 7. pag 417.

Quod ſi Pontifex religioni habuerit verba ſacramentalia periculo publicæ notitiæ exponere, quantò magis religioni habuiſſet eadem verba ſacramentalia periculo falſitatis ultrò exponere?

XVII. Tertia ratio petitur, ex eo, quod ſacramenta contineant ſacram quamdam invocationem divini no-

minis super materia benedicenda, vel consecranda, unde Apostolus scribens ad Corinthios: [a] *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* & Dionisius Areopagita, suprà [b] agens de formis ordinationũ, vocat eas *invocationes consecratorias.*

a 1. cor. 10. vers. 16.

b §. 10. pag. 417.

Hanc porrò invocationem periculo falsitatis & frustrationis ultrò exponere, nequidquam aliud videtur, quàm ipsum divinum nomen eidem periculo exponere. Qua in re contineri irreverentiam nullus diffitebitur.

Sanè, nemo non fatetur divini nominis irreverentiam esse, si quis, etiam certus de rei veritate, divinum nomen absque necessitate & in vanum assumpserit: quantò magis si quis divini nominis invocationem, absque necessitate, probabili periculo falsitatis exposuerit?

XVIII. Quarta ratio petitur ex comparatione evangelij cum sacramentis, hoc modo. Non servat debitam evangelio reverentiam, qui evangelij prædicationem, vel annuntiationem sine causa exponit probabili falsitatis periculo: ergo nec ille, qui administrationem sacramenti à Christo instituti exponit probabili falsitatis periculo: quandoquidem, ut suprà dictum est, [c] baptismus, aliaque sacramenta magis Christi sint, quàm ipsum evangelium.

c num. 25.

XIX. Quinta ratio petitur ex alia comparatione. Irreverentiæ jure merito culpandus est, qui religiosas ceremo-

remonias vel ritus usurpat, de quibus incertum est, sacri sint, an prophani? christiani, an gentiles? ergo ejusdem irreverentiæ meritò arguitur, qui sacramenta, utpote religiosas ceremonias & sacros ritus, usurpat, incertus sacræ, an prophanæ sint ceremoniæ? veri ritus, an falsi?

Idem argumentum urgeri potest exemplo illius, qui reliquias venerandas exponit, de quibus incertum est, & in utramlibet probabilitatis partem controversum, sacræ sint, an prophanæ? non enim minor sacramentis, quàm Sanctorum reliquijs debetur veneratio.

XX. Ex quibus omnibus conficitur, non modò non esse licitum, propter opinionem probabilem de mortali dubio non commisso, prętermittere illius confessionem, sed & insuper quod reus sit futurus violatæ religionis, qui attentare hoc præsumpserit.

§. 4.

Difficilis adversus prædicta objectio. An, & qualis attritio cū sacramento sufficiat ad impetrandam veniam peccatorum?

XXI. ADversus ea, quæ suprà, potissimè paragrapho præcedente, à nobis constituta sunt, grave, arduumque de attritione cietur argumentum. Enimverò, licitum est pænitenti accedere ad sacramentum confessionis, quamvis sciat se habere solam attritionem de peccatis, quæ confitetur; cùm interim in opinione positum sit, utrum attritio scita sufficiat obtinendæ re-

missioni peccatorum. Quod si in sacramento pœnitentiæ licitum sit insistere opinioni probabili & minùs tutæ, quidni & in alijs? Ità ferè pervulgatum illud argumentum proponit P. Vasquez,[a] dicens hoc esse commune exemplum, quo utuntur recentiores, qui oppositam nostræ sententiam amplectuntur.

[a] 1.2.dis. put.63 c. 2.num.6.

Quam doctrinam vehementer approbat D. Caramuel, dicens[b] *extra articulum mortis posse hominem cum attritione cognita ad sacramentum pænitentiæ accedere: quia sequendo dictamen probabile, operatur prudenter, nec potest argui temeritatis.* Quam doctrinam posteà extendit etiam ad articulum mortis, *infirmus,* inquit,[c] *in articulo mortis non tenetur in rigore & ex præcepto elicere actum contritionis: sed sufficit, si confiteatur etiam cum attritione cognita.* Et rationem subjungit: *quia semper licet homini sequi opinionem probabilem, ubi non determinatur ad alteram probabilitatis partem voto, juramento, aut præcepto.* Vult ergo licitum esse in susceptione sacramentorum insistere probabili opinioni prætermissâ tutiore, etiam in articulo mortis, cū agitur de jacienda felicis aut infelicis æternitatis alea.

[b] pag. 148.

[c] pag. 151

XXII. Observo autem non satis concordare theogolos in explicanda notione vocis *contritio* & *attritio.* Cùm enim diversissimæ fuerint theologorum de contritione & attritione opiniones, ità etiam diversissimâ notione, prout cuique usui venit, vocibus illis usi sunt. Unde Caramuel in prœmiali sua epistola omnibus viris doctis

doctis inscripta [a]: *quo differant modo* (contritio & attritio) *conantur explicare theologi, nec umquam ità clarè possunt, ut animus scrupulosus quiescat.* Nec id mirum, si in notione & significatione earumdem vocum non conveniant. Porrò Caramuel nodum illum gordium nullo negotio dissolvit, adstipulatur enim opinioni docenti, quod *ille habet contritionem, qui dolet se patrasse peccatum, ille attritionem, aut contritionem imperfectam, qui dolet se dolere non posse.* En facile discrimen. Verùm alij omninò aliter, prout liquebit ex sequentibus. [a] pag. 38.

XXIII. Ceterùm huic argumento, pro dignitate respondere, alterius, imò prolixioris theologicæ disquisitionis, justum foret negotium. Quare nonnulla tantùm delibabimus, potissimè, quæ Caramuelem, cum quo nobis negotium est, concernunt.

Et quia totus assentior præclaro monito S. Maximi contra Pyrrhum monothelitam disputantis: [b] *dicere quippiam, & non distinguere priùs significata in eo quod dicitur, nihil est aliud, quàm omnia confundere, & ea studio relinquere operta de quibus quæritur, quod est alienum à viro disserendi perito*: hinc statui diversa significata vocum contritio & attritio in medium proferre, ne videar velle studio relinquere opertum id de quo quæritur. [b] tom. 2. con. par. te 1. pag. 380.

XXIV. Mihi autem non videtur posse adferri distinctio rei de qua sermo est declarandæ aptior, quàm si contritionem & attritionem de peccato commisso con-

ſimili ratione diſtinguamus, quâ ſolent theologi cum Magiſtro in 3. diſt. 34. & Angelico Doctore 2. 2. q. 19. art. 2. diſtinguere varium timorem peccandi: prætermiſſo tamen timore mundano, qui propoſito noſtro non deſervit.

Quemadmodum ergo ſecundum eoſdem theologos datur timor ſervilis per quem homo refugit peccare merè ex timore pœnæ ſine ullo affectu benevolentiæ erga Deum propter ſe dilectum; ità dari poteſt contritio, vel potiùs attritio merè ſervilis per quàm homo refugit & deteſtatur peccatum præteritum merè ex timore pœnæ, ſine ullo affectu benevolentiæ erga Deum propter ſe dilectum.

Inſuper quemadmodum ſecundum eoſdem theologos datur timor filialis, qui filiorum Dei proprius eſt, per quem ſcilicet homo refugit peccare merè ex amore benevolentiæ, quo Deum perfectâ charitate complectitur; ità etiam dari poteſt contritio filialis, per quàm homo refugit & deteſtatur peccatum præteritum merè ex amore benevolentiæ, quo Deum perfectâ charitate complectitur.

Denique quemadmodum, ex eorumdem theologorum ſententia, datur timor medius inter utrumque, dictus initialis, per quem homo refugit peccare, partim ex timore pœnæ, partim ex ſyncero amore benevolentię erga Deum propter ſe dilectum; ità etiam dari poteſt contri-

contritio, vel attritio initialis per quam homo refugit & deteſtatur peccatum commiſſum, partim ex timore pœnæ, partim ex ſyncero amore benevolentiæ erga Deum propter ſe dilectum. Ità ut verum ſit, de attritione initiali, quod de timore initiali docebant antiqui ſcholaſtici, ſcilicet, quod attritio initialis duos habeat oculos, unum ad pœnam, alterùm ad offenſam, ſeu nocumentum non nobis, ſed Deo propter ſe dilecto per peccatum illatum.

Addo quartum genus attritionis, ſcilicet Caramueliſticæ, quam ſuprà retulimus, quâ ſcilicet peccator non *dolet ſe patraſſe peccatum, ſed dolet ſe dolere non poſſe.*

XXV. Reſpondeo ergo imprimis, quod infirmo in articulo mortis conſtituto non ſit licitum confiteri cum attritione Caramueliſtica cognita, id eſt, ſi reverà non doleat ſe patraſſe peccatum, ſed tantùm doleat ſe dolere non poſſe.

Ratio eſt, quia hæc doctrina pugnat cum tridentino, aſſerente,[a] quod *pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & juſtitiam aſſequendam, fuit neceſſaria; illis etiam, qui baptiſmi ſacramento ablui petiviſſent, ut perverſitate abjectâ & emendatâ tantam Dei offenſionem cum peccati odio & pio animi* DOLORE DETESTARENTUR. Quibus verbis manifeſtum eſt, ad effectum baptiſmi ex mente tridentini neceſſarium eſſe verum dolorem & deteſtationem peccati commiſſi. Ergo etiam ad effectum ſacramenti pœnitentiæ,

[a] Seſſ. 14. cap. 1.

tiæ, *est enim sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum* a ibidem cap. 2. *ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.*[a]

Sed nihil potest manifestius desiderari, quàm quod habetur eâdem sess. cap. 4. cùm enim concilium dixisset, quod contritio, sit *animi* DOLOR *ac* DETESTATIO DE PECCATO COMMISSO, subdit: *fuit autem* QUOVIS TEMPORE *ad impetrandā veniam peccatorum hic* CONTRITIONIS *motus* NECESSARIVS &c. Perperam ergo quis dixerit ad impetrandam veniam peccatorum non esse necessarium verum dolorem ac detestationem de peccato commisso, sed sufficere si doleas te dolere non posse.

Quod insuper confirmari potest ex eo, quod tridentinum & idem est de florentino, ex dictis cap. 4.[b] ad sacramentum pœnitentiæ, ejusque effectum requirat contritionem, saltem ut minimùm imperfectam: jam verò, qui non dolet se patrasse peccatum, sed tantùm dolet se dolere non posse, non habet veram animi contritionem: illa enim universè definitur animi dolor & detestatio de peccato commisso, quem animi dolorem non habet, qui tantùm dolet se dolere non posse, cùm habeat solum doloris illius votum & desiderium.

b nu. 14.

Ex quo patet falli Caramuelem, dum putat contritionem in tridentino, prout perfectam, & imperfectam complectitur, *impropriè & imperfectè intelligi*:[c] tridentinum enim requirit omninò verum & propriè dictum animi dolorem ac detestationem de peccato commisso, quæ contritio generatim nuncupatur. Respon-

c pag. 655.

XXVI. Respondeo secundò, si sermo sit de contritione filiali, quidquid aliqui antiqui scholastici dixerint, non esse absolutè necessarium, ut accedens ad sacramentum pœnitentiæ habeat contritionem filialem ex charitate perfecta promanantem. Persuasissimum enim mihi est, quod contritio charitate perfecta, hominemque Deo per se reconcilians, non sit absolutè necessaria ad percipiendum effectum sacramenti pœnitentię, sed sæpè fieri, ut homo in sacramento justificetur cum contritione imperfecta, quæ destituta sacramento ad justificationem perducere peccatorem non posset. Qua de re alibi.

XXVII. Respondeo tertiò, si sermo sit de contritione, vel attritione initiali, quod licitum sit accedere ad sacramentum pœnitentiæ cum attritione initiali cognita. Cùm enim contritio filialis non sit necessariò requisita, ut dictum est, consequens est, quod aliqua contritio minùs perfecta sufficiat: & quæ, obsecro, potiùs, quàm initialis, quæ proximè ad filialem accedit? Quòd tamen intelligendum est sub hac cautione, quod contritio illa initialis non sit omninò torpens & frigida, sed efficax, & usque adeò fervens, ut voluntatem peccandi positivè excludat, cum spe veniæ. Qua de re etiam alibi.

XXVIII. Respondeo quartò, si sermo sit de contritione, vel attritione servili, quidquid sit de veritate doctrinæ, quæ asserit attritionem servilem, sufficere cum sacramento: ego, quòd me attinet, tali attritioni, potissimè

simè in periculo mortis, nollem salutis meæ & æternitatis exitum committere. *Deterret me*, inquit Dominicus Soto, [a] *non esse articulum fidei, ut attriti per sacramentum fiant contriti. Non est enim expressa evangelica assertio, aut ecclesiastica definitio. Imò, neque apud Augustinum, aliumve illius classis authorem reperitur: sed est scholasticorum collectio, quæ quamquam sit vera*, NON TAMEN EST DIGNA, CUI BILANCES PERPETUÆ NOSTRÆ, AUT SALUTIS, AUT DAMNATIONIS CONFIDAMUS. Quod dicat doctrinam illam de attritione, utique servili, sufficiente in articulo mortis, non reperiri apud Augustinum, aliumve illius classis authorem & nihilominùs veram esse, alia cōsideratione & indagine dignū est: illud tantùm in præsenti urgeo, quod meritò dicat se deterreri Soto, ne bilances perpetuæ suæ salutis, aut damnationis tali doctrinæ confidat.

a in 4. dinst. 19. q. 2. a. 6. pag. 492.

XXIX. Verùm & alia sunt, quæ jure merito me deterrent, ne tali doctrinæ æternitatis exitum crederem.

Deterret me imprimis, quod refert. D. Antoninus malè in contrariū citatus. [b] *Pœnitentes, præcipuè in infirmitatibus gravibus oportet admonere, ne ad pœnitendum, & confitendum propter hujusmodi (pœnas inferni, & Deum justum inferentem tales pœnas peccatoribus) principaliter moveantur, nam inutilis esset sibi talis pœnitentia.* Quod ità probat: *Quidam scholaris Parrhisius infirmatus ad mortem, confessus est cum multis lacbrymis, devotè suscipiens omnia sacramenta secundum humanum judicium: Doctor autem ejus frequenter visitans*

b parte 4. ticulo 14 cap. 5. sub initium ante §. 1.

visitans eum in infirmitate, rogavit eum, ut si contingeret de hâc luce migrare, Domino concedente, sibi appareret ad revelandum statum suum: quod & promisit. Eo igitur viam universæ carnis ingresso, post dies aliquot (dictus Scholaris) ei apparuit in lecto quiescenti, in Chlamyde pergamenea plena sophismatibus, & igne foderata. Quem recognoscens & interrogans de statu suo: respondit se fore damnatum. Cúmque ille miraretur nimis, causam quærens: cùm ipse cum tantis lachrymis pænituisset in fine, & sacramenta devotè suscepisset: respondit ille: pœnitentia mea, & lachrymæ illæ non fuerunt ex AMORE DEI, *& principaliter propter Dei offensam, sed propter* TIMOREM INFERNI, *ne ad illum deputarer: & ideò mihi non valuit.*

Deterret me insuper præclarum monitum sancti Ignatij apud Rodericum tractatu tertio de perfectione religiosa: [a] *omnes* RECTAM *habere* INTENTIONEM *studeant, non solùm circa vitæ suæ statum, verùm etiam circa res particulares, omnes id semper in eis syncerè spectantes, ut serviant & placeant divinæ bonitati propter seipsam, & propter charitatem & eximia beneficia, quibus prævenit nos, potiùs, quàm ob* TIMOREM POENARUM, *vel spem præmiorum, quamvis hinc etiam juvari debeant.* Ego certè, ubi æternitatis gereretur negotium, saluberrimo illi monito promptissimè parerem, & *rectam*, de qua agit vir sanctissimus, *intentionem*, mihi quâ possem animi contentione, comparare studerem.

[a] tom. 1. tract. 3. cap. 13. pag. 125.

Deterrent me & alia sanctissimorum virorum monita, quale est illud Ioannis Rusbrochij in libello de quibusdam præcipuis virtutibus: [a] *licet unus aliquis hujusmodi contritionis* (servilis) *tantùm habeat, quantum simul omnes creaturæ unquam habuerunt, non meretur tamen, nec unius saltem peccati veniam, quippe quæ ex charitate, quæ omnis veræ contritionis causa est, neutiquam proficiscitur.*

a de duplici côtr c.11. pag. 340.

Cui monito affine est, quod tradit pius scriptor Didacus Stella enarrationum in Lucam tomo primo ad sanctæ inquisitionis hispaniæ decreta prorsùs elimato, & summâ fide repurgato: [b] *si tantum dolorem & pænitentiam peccatorum tuorum habueris, & illorum causâ tot lacrymas fuderis,* QVOT SUNT GUTTÆ AQVÆ IN MARI, *si hanc pænitentiam & dolorem habueris solùm, vel præcipuè id cavens ne in infernum eas,* CERTISSIMÈ *scias te hâc ratione damnandum fore.*

b in c.6. pag. 168. col. 2.

Cujus doctrinæ hanc rationem subjungit: *nam in peccato duo considerare debes: alterum offensam, quam adversùs dominum tuum commisisti, alterum verò malum, quod tibi ipsi comparasti. Si igitur te peccati tui potiùs pænitet propter inferni cruciatus, quàm, quod Deum offenderis, manifestè est te potiùs id cavere & fugere, quod contra te est, quàm id quod est adversùs Deum.... Hunc dolorem vocant scholastici attritionem, quæ filia est amoris proprij.*

Nec absimile est monitum pijssimi Blosij, canone vitæ spiritualis capite 2. [c] *tibi promittitur peccatorum remissio, si*

c pag. 3.

sio, si etiam in extremo vitæ articulo positus, VERÈ, *id est ex* AMORE DEI *magis, quàm* METU SUPPLICII, *pœnitentiam egeris.*

Et illud sanctissimi Thomæ à Villa-Nova sermone in Dominica passionis: [a] *prima conditio* (doloris contritionis,) *quod sit purus, id est, propter Deum totaliter, vel principaliter, ut dictum est, non propter damnum, non quod malum sit dolere de damno & de inferno, ... sed hic dolor non debet esse principalis, sed accessorius.* a pag. 162.

Agit de contritione, [b] quæ *in omni tempore, & in omni lege, naturæ, scripturæ, & gratiæ tamquam naturale & proprium peccati remedium immobilis & immutabilis perseverat.* b pag. 163.

Deterret me præterea, quod Ioannes Eckius scribens adversùs Lutherum passim supponat doctrinam esse catholicorum, quod timor servilis non sufficiat obtinendæ justificationi, nisi accedat aliquis amor benevolentiæ erga Deum. Libro 1. de pœnitentia [c] ita scribit: *omnes* Scholastici *fatentur pœnitentem incipere à timore: sed non debet* PERSEVERARE *in timore: quia timor debet esse medium, non extremum: via, non terminus, alioquin habebit timorem Iudæ. Timor itaque non proficit, nisi accedat charitas expellens.* Et infrà: *sufficiat divini verbi præconibus timore concipi pœnitentiam: ut sic peccator ab odio Dei per timorem evehatur ad amorem Dei.* c cap. 9. pag. 143.

Et Enchiridium Colon. [d] *Quum ex timore per fiduciam misericordiæ ad timorem filialem gradum fecerint, tum demum* d pag. 124.

 ad ve-

ad veram pœnitentiam contristantur .... Atque hæc tandem est vera illa interior pœnitentia, ad quam omnis scriptura passim nos provocat & verbis & exemplis .... Cassiodorus [a] *metum judicij januam conversionis appellat, modò tamen discretio dilectionis addatur. Breviter, in hanc sententiam* OMNES PII *discedunt.*

a in psal. 110.

Deterret etiam, quod accuratissimus antiquitatis scrutator Ioannes Morinus lib. 8. de pœnit. scribat, [b] quod *Melchior Canus, & Henricus quidam Salmanticensis doctor,* primi *fuerunt authores illius sententiæ, quæ admittit, attritionem ex sola formidine pœnæ conceptam, talemque à pœnitente cognitam, & immutatè se habentem, legitimam & sufficientem esse præparationem ad gratiam in sacramento suscipiendam.* Et subjungit: *ante hos neminem legi, qui sic doceret, vel docere perhiberetur.* Ego certè, doctrinæ, quam accuratus ille scriptor non pridem traditam existimat, non auderem momentosum æternitatis negotium confidere.

b cap. 4. pag. 512.

XXX. Addo tamen, quod in simili Augustinus libro 1. de adult. conjug. [c] *non tamen propterea damnamus eos, qui* confidentiùs *agunt, quàm nobis videatur agi oportere: satis quippe in talibus respiciendum est illud Apostoli, ubi dicit:* [d] *unusquisque nostrûm pro se rationem reddet Deo. Non ergo ampliùs invicem judicemus.*

c tom. 6. cap 26. pag. 356.

d ad Rom 14 v. 12.

Quamobrem objectioni propositæ respondeo, quod ego solius attritionis servilis de peccatis commissis præsidio

ſidio munitus, non auderem me ſiſtere tribunali ſupremi ac juſtiſſimi judicis: ſi quis ſecùs ſentiat; pro ſe rationem reddet Deo. Quis prudenter egerit, *dies Domini declarabit & uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit.* [a] a 1. ad cor. 3. v. 13.

CAPUT NONUM.

Reſpondetur alijs argumentis D. Caramuelis.

NUllum non movet lapidem D. Caramuel, ut concluſionem à nobis poſitam labefactet. Verùm ex dictis facilè eſt omnibus, quæ magno ſtudio cumulat, argumentis reſpondere. Ne quid tamen deſideretur, nonnulla breviter diſcutiemus.

§. I.

An peccet mortaliter, qui operatur cum conſcientia dubia, utrum actus, quem committit ſit peccatum mortale an veniale?

I. SIc *argumentor*, inquit Caramuel, [a] *ſtrictiùs teneor non committere peccata, quàm commiſſa confiteri: nam venialia poſſum non confiteri, & tamen ea non poſſum committere, & mortalia poſſem in aliquibus caſibus non confiteri, nec tamen dabitur caſus in quo licitè poſſim illa committere:* a pag. 688.

At in dubio (an actus ſit peccatum mortale vel veniale) poſſum peccatum committere, nec peccabo mortaliter committendo: Ergo in dubio potero illud non confiteri, nec peccabo mortaliter non confitendo.

Huic

Huic argumento paucis respondeo, falsissimum esse, quod in dubio, an actus sit peccatum mortale, vel veniale, possim peccatum committere, nec mortaliter peccare.

Qui enim in tali dubio peccatum committit, ut benè
opusc. 687. P. Vasquez apud Caramuelem, [a] *sine dubio se exponit periculo peccandi mortaliter*: qui autem amat periculum peccandi mortaliter, peribit in illo mortaliter.

Et verò, talis animo sic affectus est, ut consentiat & paratus sit, quantum in se est, mortaliter delinquere, nec ab eventu pendet, ut mortaliter delinquat: unde, vel tum peccat mortaliter, vel certè nullũ est mortaliter peccandi periculum aut dubiũ, cùm eventus, qui non est in hominis potestate, nihil possit ad peccati rationem conferre.

Quod patet in simili. Qui enim sponte bibit venenũ, de quo dubius & incertus est, utrum grave & mortiferum, an leve dumtaxat & non mortiferum corpori nocumentum inferat, omnium consensu consentit morti propriæ, & sic affectus est, ut paratus sit, quantum in se est, mortem veneno bibere, & seipsum interficere. Ergo idem censendum est de veneno & morte spirituali.

Neque me moratur Dianæ, aut similium allegata à Caramuele authoritas: vel enim rem tam absonam non docuerunt, & proinde perperam allegantur: vel certè si rem tam absonam docuerint, propter illud ipsum, quòd tam evidenter peccent in prima luminis naturæ principia, similium Scriptorum authoritati deferre nolo.

§. 2.

§. 2.

Vtrùm mortale dubium, sit fundamentum certæ obligationis confitendi?

II. IN thesibus Viennensibus, quæ Caramuelis stylum redolent, rationem hanc à priori tãquam efficacem nobis objicit D. Caramuel: [a] *non potest esse certior obligatio confitendi, quàm sit fundamentum & radix hujus obligationis, atqui totum obligationis confitendi fundamentum est peccasse mortaliter, & necdum esse confessum, ideóque alterutro deficiente non est obligatio confitendi, ut patet. Ergo si non sit certum obligationis fundamentum confitendi, hoc ipso oritur dubium de obligatione, sed dubia obligatio nulla est obligatio: in dubio enim de libertate standum est pro libertate &c.*

[a] pag. 689.

Verùm huic argumento facilè respondetur, quod fundamentum & radix obligationis confitendi, non sit solùm mortale certum, sed etiam dubium. Sicut non solùm vulnus certum, sed etiam dubium, est fundamentum & radix adhibendi certum & indubitatum medicinale remedium.

Unde quandò dicitur, quod fundamentum obligationis confitendi sit peccasse mortaliter, & hoc non esse certum, distinctione opus est, non enim est certum peccatum, sed certum obligationis confitendi fundamentum. Sicut, ut ab exemplo proposito non recedam, qui dubitat an sit læsus mortaliter, non habet certum vulnus, sed habet certum fundamentum obligationis adhibendi oblatum sibi medicinale remedium.

Addo, quod hoc argumento probaretur ne quidem esse obligationem habendi contritionem de peccatis mortalibus dubijs: quandoquidem fundamentum habendi contritionem, sit peccasse mortaliter, & hoc non sit certum, quandò peccatum mortale est dubium.

§. 3.

Sitne scrupulosis suadendum ne, mortalia dubia confiteantur? Quæ hac in re scrupulosos inter & alios disparitas?

III. Iuvabit etiam expendere illud Caramuelis argumentum: [a] *scrupulosis suadetur ne confiteantur dubia, & nemo auderet suadere ne confiteantur peccata certa: ergo non est æqualis obligatio. Consequentia videtur evidens. Secunda antecedentis pars ab omnibus admissa, prima à plurimis: nempe à Layman &c. tunc sic. Omißio peccati certi nullo casu consulenda est, & omißio dubij scrupuloso pœnitenti consulitur. Ergo hæc omißio non militat contra institutionem, & integritatem sacramenti.*

[a] pag. 678.

Non capio quid sibi velit D. Caramuel, quando dicit, *omißio peccati certi nullo casu consulenda est.* Quid enim? non est consulendum, ut omittamus peccatum certum? oportebit igitur consulere, ut peccatum certum committamus?

Verùm, quia res illa nihil attinet ad præsens negotium, argumento directè respondeo, nullam esse consequentiam, quod enim scrupulosis detur tale consilium, non provenit

provenit ex eo capite, quod dubia non ſint in Confeſſione exprimenda, aliàs non deberet hoc ſolis ſcrupuloſis, ſed omnibus indifferenter ſuaderi: ſed eò fit, quod raro habeant vera dubia, nec ſoleant diſcernere inter ſcrupulum, & dubium, ſoleantque timere, ubi non eſt timor. Unde confeſſarij dum inhibent confiteri peccata dubia, reipsâ non inhibent niſi confiteri ſcrupulos. Qua in re prudens confeſſarius attendere debet ad circumſtantias, non eſt enim dubium, quin tales poſſint eſſe circumſtantiæ, quibus confeſſarius non poſſit ſcrupuloſis inhibere confeſſionem mortalium reverà dubiorum.

Deinde multa licent ſcrupuloſis, quæ alijs non licent: nam multa ſunt, quæ ſcrupuloſi ſine notabili ſpirituali incõmodo non poſſunt prẹſtare, cùm interim nòn ſcrupuloſi poſſint eadem præſtare nullo negotio & incommodo. Certum eſt autem, notabile aliquod ſpirituale incommodum, ex multorum ſententia, excuſare ab integritate confeſſionis.

§. 4.

Argumentum ab authoritate theſium Lovanienſium.

IV. R*ecenſendæ etiam*, inquit Caramuel,[a] *ſunt theſes publicæ in noſtra Univerſitate defenſæ, quibus majorem authoritatẽ attribuimus, quàm placitis privatorum Doctorum, cùm enim ſine contradictione defendi permittuntur, dicendæ ſunt judicari probabiles à ſuperioribus & reliquis Doctoribus,* [a] num. 688.

V 2

floribus, qui possunt & debent curare, ne improbabiles sententiæ in publico Gymnasio defendantur.

Dico igitur, subjungit, *benigniorem sententiam in doctissimo P. P. Iesuitarum Gymnasio me præsente defensam.*

Quod D. Caramuel sententiam nostræ oppositam vocet *benigniorem*, nullatenùs probo, prudentissimè enim jurisprudentiæ alumnus Panormitanus in cap. *juvenis* ✕ DE SPONSALIBUS: [a] *in concernentibus periculum animæ debemus in* DUBIIS *semper tenere, quod certius est, & quod sine periculo animæ explicari potest. Vnde in istis* ILLA PARS EST MITIOR, QVÆ EST TUTIOR.

a pag. 3. col. 1. n. 1

Ceterùm quod attinet ad objectionem propositam, oppono nõ theses, sed opus theologicum R. P. Ludovici de Schildere S. Th. Lovanij Professoris, [b] cui video placuisse *impertinens*, quod thesibus de sacramentis apposueram anno 1663. quo continebatur, *quod in Luthero damnata fuerit doctrina, quæ docet peccata mortalia dubia non esse in confessione exprimenda.* Quod tum prolixè ostendi verbis Ioannis Eckij, Roffensis, Iacobi Latomi, & Bellarmini, quæ perpaucis operi suo theologico etiam attexuit prædictus R. Pater Professor. Unde spero futurum, ut posthac de simili patrocinio non glorietur D. Caramuel.

b tract. 6. num. 41. pag. 727

Atque hæc de mortalium dubiorum confessione sufficiant, quæ omnia sanctæ romanæ ecclesiæ judicio profundissimè submitto.

INDEX CAPITUM
ET
PARAGRAPHORUM.

FINIS.



